Disputatio Inauguralis Juridica,
DE
CRIMINE CONCUSSIONIS,
IN SPECIE
CIRCA OFFICIALES IN SUBDITOS,
Von
Zwang und Druck der Beampte wider die Unterthane/

QUAM
Auxiliatrice Numinis Trisagii Gratia
EX CONSENSU ET AUTHORITATE MAGNIFICÆ FACULTATIS JURIDICÆ IN INCLYTA ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA
SUB MODERAMINE
VIRI *EXCELLENTISSIMI ET CONSULTISSIMI*
DN. EDUARDI FRANTZ GOCLENII,
JCti & Pandectarum Professoris celeberrimi,
PRO LICENTIA
SUMMOS in utroque JURE HONORES ac PRIVILEGIA DOCTORALIA ritè impetrandi
Publicæ Doctorum disquisitioni submittit
THEODORUS ERICUS ALTROGGE, Hannov.
Anno M DC XCVI. d. Sept. horis consvetis.

RINTHELII,
Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, *Academ. Typogr.* MDCXCVI.

OPTIMO SUO PARENTI

BENEQUE DE SE MERITO

DOMINO

MELCHIORI CHRISTOPHORO ALTROGGIO,

OB BENEFICIA NON UNA NEC EXIGUA
SED IN DIES IN ANNOS AUCTA
ÆTERNUM OBSTRICTUS
PIETATEM QUAM DEBET
CULTUM QUEM TRIBUIT
QUALICUNQUE HOC ARGUMENTO TESTATUR
TANTIQUE AMORIS SEMPER MEMOR
CUM GRATIAS REFERRE NULLAS LICEAT
HABITURUS TAMEN SEMPITERNAS
DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM
EXIGUUM MAGNÆ OBSERVANTIÆ PIGNUS

TRADIT

FILIUS TOTO SANGUINE DEVOTUS

THEODORUS ERICUS ALTROGGE.



I. N. S. T. A.

PRÆFAMEN AD B. L.

OCulos hactenus per immensam Themidis segetem pluries volvendo circa *lib.*48. *tit.*13.*ff.* in quo materia Concussionis sedem habet, in mentem mihi venit, Anno 1652. sub Præsidio Dn. Bechmanni quondam JCti & Professoris famigeratissimi, non neminem nomine Fridericum Heckenberg Jenæ disputationem Inauguralem de BARRATARIA, qua cautum est, ut provincialibus à Magistratibus corruptis, qui nempè in Provinciis pecunias contra leges accepissent, easdẽ repetere liceret, publici juris fecisse, & cum deprehenderem alteram speciem, quæ est de CONCUSSIONE CIRCA OFFICIALES IN SUBDITOS, ibidem prorsus intactam

tactam esse relictam, operæ pretium fore censui, si eandem materiam in foro saluberrimam, penitius trutinarem, ac ambiendo Honores Doctorales publicæ disquisitioni subjicerem, haud immemor, ejus, quod qui dissertationis alicujus elaborationi manus admovere soleant, illud sibi negotii cum primis suscipiendum esse credant, ut nova, nec cuivis obvia, imo utilissima, præferant; Ideo sine ulteriori verborum ambage opus aggredior, quod ut feliciter cedat, ante omnia me converto ad Deum *Nov.* 85. *in pr.* quo sine nostra hæc in studiis peregrinatio miserabilis quædam erratio est, ut ait acutissimus Scaliger. *exc.* 359. *sect.* 1. eum implorans, ut velit instituti mei principium, medium & finis esse. *Nov.* 109. *pr.* Si vero Tuis B. L. haud exasse respondere quiverim votis, ea qua par est humanitate, quam mihi abs Te polliceor, hunc Te laborem æqui bonique æstimaturum, & defectus quos fortasse reprehendes, faventi correctione adimpleturum confido. Tuo enim arbitrio ac censuræ, quod nunc sequitur lubens submitto.




CAPUT

CAPUT I.

Generalia quædam ratione Etymologiæ, Homonymiæ, Synonymiæ, & Definitionis Exhibens.

THESIS I.



Micus meus charissimus Dn. Joach. Johan Käseberg in erudita sua exercitatione de recta disputandi ratione, quam sub Præsidio Dni. Wideburgii in Academia Julia habuit, in *th.*1. ita scribit, quando ea, quæ Veteres circa disputationum fines observarunt, & hodiè circa easdem obtinent, attendimus, quosdam initio deprehendimus in eruditam hanc arenam descendere, ut veritatem quidem astruant, falsitatem autem in apricum productam planè refellant, eosve cum quibus agunt, ab erroribus justo modo liberent, cui fini pariter & Nos in præsentiarum studebimus.

TH. II.

Cum autem plurimum è Re sit, antequam ipsam tractationem exordiamur, pauca de significatione ipsius tituli, qui est de Crimine Concussionis, in specie circa Officiales in Subditos, prælibare, nos, ut plenius hanc materiam interpretemur, neque illotis manibus in illam irruamus, necessarium duximus ipsam definitionem primò omnium aggredi, quemadmodum omnis doctri-

doctrina sivè instructiva sivè reformativa à vocabulorum cognitione & definitione initium sumit, siquidem turpe est prius determinare, quam terminos intelligere; tum quia natura ab Elementis incepit. Farinac. *lib. 1. proc. crim. qu. 36. n. 1. & 2.* Scaliger *exerc. 359. sect. 1.* ubi ait, à nominibus auspicandum, quia sunt notæ passionũ animi. Muret. *in orat. 8. lib. 1.* Et neglectus vocabulorũ, rerum parit incertitudinem, sicut è contrario intelligentia cognitionem. *Rutger. Ruland. de Comm. lib. 1. c. 2.* Sicut autem Definitio primum in omni arte præceptũ; ita Duplex ὀνοματώδης Nominis, & πραγματώδης Rei, quorum illa continet Etymologiam, Synonymiam, & Homonymiam vocabulorum, hæc proprietatem rei ostendit. *vid.* Vent. de Valent. *in Partb. litig. lib. 1. cap. 5.*

TH. III.

ETYMOLOGIA. Vox Concussis à concutio dicta, vim ejus voculæ, ex quibus componitur denotant; nempè præpositio CON, quæ semper composita reperitur, & modo idem quod cum vel simul, modo quod contra, hoc loco verò, quod valdè seu vehementer significat. QVATIO est altera hujus compositi vocula, mutando lit. Q. in C. & abjecto A, quæ in hac compositione sensum in Jure acceptum, nempè commotionem totius animi ob aliquam violentiam imminentem & quatenus concutiens dicitur, qui percellit & perturbat aliquem injecto terrore, exprimit *Calvin. in lex. sub voce Concutere.* Circa vocem, CRIMEN nempè notamus, quod descendat à cerno, sicuti à discerno discrimen, undè idem est quod contentio, seu criminatio & id quod per contentionem objicitur. *Blanch. in pract. Crim. §. visis indiciis. Farinac. in prax. crim.*

crim.lib.1.tit.3. qu.18.n.2. Crimen tamen latè acceptum omnia voluntaria delicta ex deliberatione provenientia continet. *l.1. C.si advers. delict. Decian in tract.crim. lib.1.cap.7.n.2.*

TH. IV.

Accepturi ergo sumus Vocabulum Concussionis(1.) non in sensu planè abusivo illo, in quo usurpatur apud Juvenalem *sat.10.vers.327.* Ne Sthenobæa minus, quam Cressa excanduit & se concussere ambæ, ubi concutere pro erigere se in ultionem sumitur, nec (2.) pro labefactare, in qua significatione audit apud Ciceronem *in Philipp.* sed pro actu illicito, quo quis per terrorem potestatis ab invito prætextu alicujus juris quid extorquet. *t.t.ff. de Concuss. l.1. l.4. l.5. C. de L. Jul. Repet.* quod per concussionem ubi metus concutitur & de mente fieri dicitur. *l.6. §.3. illicita ff. de Offic. Præsid. Farinac. qu. crim. 111. art. 3. n.49.* In quo significatu concussionis nomen Metaphoricè sumitur, metaphora ducta, vel ab iis, qui ædificium ruinosum concutiunt, vel potius à furibus pomariis, qui quoniam fructus ex alienis arboribus adhibita mora legere non audent, arbores concutiunt ut quæ poma ceciderint statim indè auferant. *Donell. lib.15. Capite 39. & ibi Hillig. sub. lit. A. Theodoric. in colleg. Crim. disp.9. th.1. lit.B.* *HOMONYMIA.*

TH. V.

Hinc apparet, quod Synonymiam attinet, Concussionem & pecuniæ extorsionem pro uno eodemque accipi, *t.t.ff. & C. de Leg. Jul. Repet.* Solet hoc loco salebrosa illa quæstio moveri, sitne concussio idem quod non facere justitiam. Et quamvis idem sentiant. *Paris de* *SYNONYMIA.*

de Puteo intr. de Syndic. cap. 7. n. 6. Dam haud. in prax. crim. c. 129. rubr. de Concuss. n. 1. Nobis tamen magis arridet opinio *Farinac. qu. cr.* III. *art. 3. n. 49.* verius scilicet esse, quod crimine Concussionis non teneatur Judex, quando à spontè dante & corrumpente, nulla præcedente illatione metus, aliquid recipit, nec justitiam facit, sed tantum eo casu, quando aut indebitè vexando, pecuniam extorquet, aut concutiendo metum pecuniã à subditis exigit, vel ut *Paris de Puteo de Synd. c. 7. dicit*, quando Judex minatur de incarcerando vel gravando, nisi quis pecuniam dederit. Potest ergo quis non facere justitiam, & pati se corrumpi, etsi non committat concussionem, & vel minis vel persvasionibus terreat vel inducat ad sibi dandum munera aut pro justitia facienda pecuniam. *Theodor. coll. crim. cap. 9.*

TH. VI.

DEFINITIO. Hisce præmissis in posteriori significatione describimus Crimen Concussionis, quod sit EXTORSIO ALIENI, METU POTESTATIS VEL SUÆ VEL ALIENÆ. *L. 1. ff. de concuss. Donell. lib. 15. cap. 39. lit. A. & B.* Loco generis ponimus EXTORSIONEM, sub qua voce etiam continetur crimen huic simile, quod vocatur Superexactionis, quod committitur ab Exactoribus, qui ultra debitum quod eliciunt, qua de re *l. un. C. de superexact.* Dicitur Extorsio ratione Concussoris quod hic concusso terrorem injiciat pecuniæ vel alterius Rei accipiendæ causa. *Farinac. qu. crim.* III. *art. 3.* Interim cum Extorsio sæpè absq; metu fiat, Concussio vero metũ præsupponat, merito additur vox METU, qui describitur, quod sit instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio *l. 1. ff. quod. met. caus. gest.* Is incutitur

cutitur vel facto vel verbis, *Decian. in tract. crim lib.* 8. *c.* 35. absit tamen, ut hoc loco intelligamus atrocem metum, periculum mortis, cruciatusve aut quid simile continentem, qui ad concussionem non refertur, sed potius eam à vi & deprædatione distinguit. *l. un. C. ex delict. Def. in quant. hered. conv. l.* 6. *§.* 5. *de mod. mult. quæ à Judic. infl.* est ergò metus ille minor & mollior, cum magis assiduitate quatiendi, quam impetu extorqueatur. *Donell. loc. alleg.* quatenus oritur à Potestate, tanquam SUA, utpotè si Magistratus illicitè quid imperat. *l.* 6. *§.* 3. *ff. de Offic. Præs.* si licita negotiatione prohibeat. *l.* 6. *§.* 4. *ff. ibid.* si metator imperet hospitium pro iis, qui in numero officiorum vel militum non sunt, vel si imperet immunibus *l.* 6. *§.* 3. *&* 6. *ff. ibid.* prohibitionis ratio *§.* 5. subjicitur, Ne tenuis vitæ homines prætextu adventus officiorum vel militum lumine unico vel brevi suppellectili ad aliorum usus translatis injuria vexentur. Item si centurio injungat militi, quæ tyroni conveniunt. *l.* 3. *C. de cond. ob turp. caus.* vel ALIENA, si privatus, simulato Magistratus jussu quid auferat. *l.* 1. *ff. de Concuss.* si crimen & accusationem minatus. *l.* 2. *ff. eod.*

TH. VII.

Ratione personarum Crimen Concussionis committentium, de quibus in sequenti capite latiùs agetur, dividitur in publicum & privatum, hoc intelligitur, cum Concussio à privato commissa sit. *l.* 1. *&* *l.* 2. *ff. de Concuss.* si verò à Magistratu & Officiali perpetretur, publicum crimen est, admixtum privato, atque ita unico delicto, unico facto, duo crimina admissa esse putemus, privatũ *DIVISIO.*

B scilicet

ſcilicet, quatenus Concuſſionis nomen retinet, publicum, quatenus Repetundarum ſanctionem reſpicit, *uti probat l. jubemus cum ſequenti C. ad l. Jul. Repetund.* ſic & in aliis permultis privatum cum publico crimine concurrere contingit, ac nonnunquam duplex publicum *l. interdum ff. de publ. judic. l. Prætor. §. 1. ff. de Minor. l. Prætor. §. 1. ff. vi bonor. rapt. l. 3. ff. de prævar.* quatenus publicum dicitur, incidit in crimen Repetundarum, & Judex per Concuſſionem corruptus, eadem Lege Julia de Repetundis punitur *dict. l. Jubemus.* ita tamen ut nec ideo appellatio Concuſſionis & criminis Repetundarum confundatur *Hillig. ſub lit. D. ad Donell. lib. 15. cap. 39.* nam Magiſtratus vel alius, qui in officio publico eſt, ſi à privatis ſordidè pecunias accipiat *t. t. ff. & Cod. ad L. Jul de Repet.* tum hoc fit dupliciter, aut Magiſtratus pro publica poteſtate ab invito aliquid prætextu juris alicujus extorquet *l. 1. 2. 4. verbo concuſſus. 5. verbo concuſſum C. de L. Jul. Repet.* quod per concuſſionem fieri dicitur, *Menoch. caſ. 342. n. 12.* ſi vero Magiſtratus aut Judex vel horum miniſter, quo magis aut minus quid ex officio ſuo faceret, à volente commodum aliquod percipit *l. 1. 3. 4. 6. 7. 8. & 9. ff. de L. Jul. Repet. l. 3. 4. verb. ſi quis ſcit & l. ult. C. eodem. Novell. 8. c. 1. & 7.* veluti ob judicandum decernendumve *l. 3 ff. de L. Jul. Repet.* ob teſtimonium denunciandum *l. 6. in pr. de L. Jul. Repet.* &c. nomen Barratariæ ſeu criminis Repetundarum habet, haud poſterior, ſed prior ſpecies, nempè quatenus Magiſtratus pro publica poteſtate à ſubditis invitis aliquid extorquet, ſcopo noſtro eſt accommodatiſſima, quam abſq; ulteriori verborum anfractu ſpecialius excuſſum imus.

Cap.

Cap. II.

EXHIBENS SPECIALIA:

De Personis committentibus, & quibus modis committatur hoc Crimen Concussionis.

Thes. I.

GEneralioribus præmissis ad specialiora & quidem ad personas committentes hoc crimen, atque ad modos committendi progredimur. Et quidem quod ad Personas attinet, crimen hoc committi tam à personis Officialibus, quam à privatis nullum Officium habentibus, sicuti capite præcedente demonstratum, haud dubium est, quanquam inter quosdam Doctores magna fuerit disceptatio, an etiam hoc Crimen à privata persona nullum officium habente admitti possit? inter quos *Ricc. coll. dec.* 2545. ubi dicit, post longam discussionem, communi voto demum pronunciatum esse, hoc extorsionis crimen non posse considerari in persona privata, sed in habente jurisdictionem & sic in officialibus solum, contrarium vero probatur *ex l. 1. ff. de Concuss. Farinac. qu. cr.* III. *n.* 46. *& cum hoc Dd. comm.*

Th. II.

Personis privatis annumerantur Advocati, Medici, Patres & omnes alii, extra officium publicum constituti, qui metu vel minis, tacitè vel expresè aliquid extorquent. Per Officiales vèro intelliguntur omnes Magistratus, tam temporarii, quam perpetui, tam urbani quam Provinciales, tam Majores quam Minores, & qui

poteſtate, officio, munere, miniſterioque publico funguntur, uti erant Comites Præſidum, eorumque miniſtri *l.1.C. ad Leg. Jul. Repet.* Aſſeſſores *l.3.C. de Aſſeſſ.* Cognitores *l.3.C.ibid.* & ſi qui alii. Sed per Magiſtratus & Officiales in noſtra diſſertatione hodiernos Provinciales Magiſtratus, vulgò die Beampte intelligimus, quorum cauſa etiam *lex. Jul. Repet.* lata eſt.

Th. III.

Nunc perveniendum ad modos, quibus perpetratur hoc crimen concuſſionis, hi vero ſunt multifarii, & præſens tractatio nimis excreſceret, ſi omnia horum momenta explicare vellemus, interim delibabimus tantum nonnullas ſpecies, & quidem quoad perſonas privatas committitur hoc crimen Concuſſionis.

Th. IV.

(1.) Inter Advocatũ & Clientem contractus prohibitos eſſe tradit *l.6.§.2.C. de poſt.* & hic *Brunn. in comment.* quia ejusmodi pactio fieri poſſet in fraudem juris de quota litis, ac quidvis extorquendi à Cliente anſa daretur: *Donell. l.18. cap.3. lit. ddd. & ibi Hilliger.* Et quamvis pactum inter Clientem & Advocatum ſuper quota litis initum non ſubſiſtat propter metum iniquæ extorſionis, nemo tamen ſtatuet, quin quivis contractus alii cum Advocato iniri queant. Sic proindè ſtatuendum arbitramur emtionem venditionem inter Advocatum & Clientem eſſe licitam, nulloque jure aut ratione prohibitam.

Th. V.

In crimen Concuſſionis vero (2.) incidere eum putamus, qui longi proceſſus metu incuſſo, alicui portionem

nem hereditatis vel simile aliquid, jure alias sibi minimè debitum, extorserit.

Th. VI.

Eandem ob causam (3.) Medicus & Ægrotus iis personis, inter quas contractus non valet, annumerari solent, per *l.* 51. *Medicus* 3. *de extr.cognit.* Ubi Ulpianus his verbis profitetur. Si Medicus, cui curandos suos oculos, qui eis laborabat, commiserat, periculum amittendorum eorum per adversa medicamenta inferendo, compulit, ut sibi possessiones suas contra fidem bonam æger venderet, incivile factum Præses Provinciæ coerceat, remque restitui jubeat, & in *l.* 9. *C. de Professoribus & Medicis.* Etenim cur ægrotus cum Medico pacisci nequeat, ratio alia dari non potest, quam quod ægrotus spe recuperandæ pristinæ sanitatis, quidvis etiam iniquissimum polliciturus esset contra libertatem pactionis, & sic fortassis iniquis extorsionibus à legibus improbatis occasio præberetur, deindè quia ægrotus metueret, ni assentiretur Medico, moremque gereret, & postulanti iniqvum etiam salarium promitteret, vel rem viliori pretio venderet, medicus malis uteretur pharmacis, nec tam citò sanitati eum restitueret. Hoc tamen tantum intelligendum de eo casu *in d. l.* 3. *de extr. cognit.* si contra bonam fidem adversa medicamenta inferendo, compulit Medicus ægrotum ut venderet, post recuperatam vero sanitatem, Medicus non tantum donationes & honoraria ab ægroto licitè accipere potest, sed jure etiam exigit. *Treut. in disput. ad jus. civil.* 2. *part.* 1. *vol.* 2.

Th. VII.

Concussionis crimen apparet (4.) in Calumniatori-

bus,

bus, qui in accusationem innocentum coierint, quive ob accusandum vel non accusandum, denunciandum vel non denunciandum testimonium, pecuniam acceperunt, *sunt verba l. 2. ff. de Concuss. item. l. 1. §. 3. ff. de calumn.*

TH. VIII.

In Matrimonialibus (5.) parentes & omnes alii, sub quorum potestate contrahentes, rei hujus criminis Concussionis fiunt, si commodi causa filiam vel filium ad hanc vel illam personam matrimonio sibi jungendã metu & minis cogunt, quippe tale factum *l. 21. 22. & 28. ff. de ritu nuptiar. l. 12. & l. 14 C. eodem* expresse prohibitum est. *Struv. in jurispr. lib. 1. tit. de sponsal. aph 2.* Nam in sponsalibus tam eorum qui junguntur *l. sponsalia 11. ff. de sponsal. l. si puella 6. l. filiofam. 13. alleg. tit.* quam quorum sunt in potestate, consensus requiritur. *l. si in sponsal. 7. l. sed ea 12. ff. de sponsal.* & spondeo à sponte venit, unde spondeo fit quasi sponte do vel promitto, cum omnino libera esse matrimonia debeant. *c. cum locum. 14. c. gemma. 39. Ext. de sponsal. Wesenb. in paratit. lib. 23. tit 1. de sponsal.* Et consensus est actus liberæ voluntatis, à sano & integro Judicio profectus, sic è contrario Metus & Terror, quæ quam maxime voluntati & consensui sunt inimica *l. 116. ff. de Reg. Jur.* unum enim conservat & sustinet, alterum destruit, ab hoc negotio exulare debent. *Dn. Pet. Mullerus in egregio tr. de annulo pronubo. tit. 12. n. 1. & 3.*

TH. IX.

Crimen hoc (6.) perpetratur inter virum & uxorem in contractu mutui, si e.g. vir uxorem ad intercedendũ ... sive

five obligandum & fubfcribendum pro fe minis vel verbis compellit, quod tamen de jure maximè prohibitum, tam authoritate legis, *per Novell.134. c. 8. indeque desumtam auth. si qua mulier C. ad SC. Vellej.* verum etiã quod fidejussioni contrarietur debitoris dolus, vis & metus; Cum enim debitoris & fidejussoris consensu fidejussio cum creditore per stipulationẽ contrahatur, certè dolus vis & metus abesse debent *l.3. l.5. C. de inut. stipulat. leg. nihil consensui ff. de R. J. l. si donationis C. de his qui metus causa.* Sed quid si in eodem Instrumento reperiatur hæc clausula, non vi, dolo aut metu, sed sponte freyes ungezwungenen Willens, quæritur, utrum ex hac clausula probetur libera ac spontanea voluntas, metusque excludatur, maximè accedente juramento? Observandum tamen est, hanc clausulam non tanti esse momenti, quin contractus vires suas perdat. Primo ob id, quod ista clausula ut plurimum ex consvetudine Notariorum apponatur, ideoque parum operetur, ex doctrina *Bartol. in l.1. qu.6. ff. de jure cod.* Deindè etiam hæc ipsa clausula operatur tantum in dubio, quandò de metu non constat, sed quando metus verè justificatur, nullius est efficaciæ, quoniam eodem metu quo quis inducitur ad contrahendum, eodem inducitur ad sic confirmandum. Undè qua ratione non tenet contractus metu gestus, eadem quoque ratione clausulæ illæ accessoriæ, adjici consvetæ, eodem vitio laborant. *Hering. in tr. de fidejus c.19. §.15 Menoch. de præs. l.3. præs.126. n.30.*

TH. X.

A Crimine Concussionis non est alienum (7.) si personæ militares per vim aut metum aliquem ad militiam

cogant,

cogant, (quamvis ferè ad Concussionis publicum crimen pertineat) & deindè accepta pecuniæ summa, ac substituto novo tyrone mittunt, vel si Capitaneus extorqueat pecuniam ab habente causariam missionem, utrumque factum quotidiè obtingere quotidiana experientia docet. Interim quod quis dedit ob causariam missionem ne cogatur militare, id potest repetere per condictionem ob turpem causam, & si is cui est datum, sit in officio, punitur ut Concussor pœna criminali, quod intelligendum de eo, qui ad militiam est inhabilis, vel alias jure excusatus. Nam si cogeretur ad militiam, contra deberet vacare jure vel alia causa, & aliquid dederit Officiali pro redemptione vacationis, illud non daretur turpiter, turpiter autem acciperetur ab Officiali, ergo daretur repetitio danti. Exemplum potest poni in eo, qui missionem honestam i. e. sacramento solutus vel causariam propter aliquem morbum animi vel corporis impetrasset. Nam tres sunt missionum species *sec. l. milites agr. §. mission. ff. de re milit.* Nempè honesta, causaria & ignominiosa, & hæc actio ob turpem causam est civilis, Judex autem cum illa actione cognoscit eum, qui acceperat fuisse Officialem, & sic crimen Concussionis admisisse, finito primo Judicio punit illũ Officialem propter crimen Concussionis, quia à publica persona perpetratum. *Sichard. in Cod. tit. 7. lib. 4. ad l. evitandi.*

Th. XI.

Inter species Concussionis (8.) quoque numerari potest. Si latro in locis remotis à quopiam sub comminatione mortis, non solum promissionem juratam magnæ

magnæ pecuniæ ſummæ, verum etiam ejus numerationem certo loco & tempore extorqueat. Sed quæſtio hic oritur, an tale juramentum per vim & metum extortū ſit ſervandum? Super qua quæſtione inter Theologos & politicos non eſt una omnium mens, ſecundum jus Civile Legiſtæ communiter tenent, tale juramentum ipſo jure nullum eſſe, *in Auth. ſacramenta puberum C. ſi adverſ. Vendit.* eorum rationes hæ ſunt (1) quod nempè Juramentum non debeat eſſe vinculum iniquitatis. *text. in C. quanto de jurej. in cap. inter cætera* 22. *qu.* 4. ſed juſtitia ſuffultum, & requirantur tres comites, judicium nempè, juſtitia & veritas. *can.* 2. XXII. *quæſt.* 2. *de jurej. it. cap. etſi Chriſtus,* 26. *Ext. de jurej.* Cùm igitur latrones ſaltem ad colorandam & confirmandam iniquitatem ſuam adhibuerint jusjurandum, ob defectum trium iſtorum requiſitorum, hoc ipſis prodeſſe vinculū non debere. (2.) quod Latro non habeat jus exigendi, cum etiam in conſcientia obligetur, reddere quod acceperit. (3) non metuendum eſſe in Latrone, ne negligendo fidem juramenti, profanetur apud ipſum nomen Dei, cum malitioſus exiſtat nominis & numinis divini contemtor. (4.) ſi Latro nobis aliquid deberet, ob malitiam cui indulget, non ſervaret promiſſum. Jam frangenti fidem, fides frangatur eidem, & quæ ſunt alia argumenta. Sed nos cum Doctoribus Theologiæ ſtatuimus, fidem juratam etiam Latroni datam, ſanctè nihilominus ſervandam, & quidem ex hiſce rationibus, nempè omne juramentum, quod absque diſpendio ſalutis æternæ ſervari poſſit, ſervari debere *cap.* 8. *Ext. de jurejur.* & illud, quod ſibi vult promitti latro, aut

C ſalva

ſalva conſcientia promiſſor præſtare poteſt, aut non poteſt. Si poteſt, peccat utique qui promiſſa non præſtat, præſertim ſi deliberato animo & jurato fuerit promiſſum; ſi non poteſt e. g. occidere ſummum Imperantem, deſerere veram religionem; prius omnia perferre debet, quam tale quid promittere, abuſus enim Nominis Divini eſt ab omnibus piis ſedulo vitandus, ſi quis ita promittat latroni, Deus ſit teſtis atque vindex, quod hoc vel illud tibi præſtare velim, & tamen eo momento quo ſic jurat, in animo habeat, ego à periculo liberatus, hoc non præſtabo, quia latro eſt cui jurat. Si generaliter verum eſſet, quod quis per vim adactus, latroni non obligaretur, etſi aliquoties fides data non ſervaretur, latronesque reſciſcerent juramentum ipſis præſtitum ſtatui tanquam non obligans, tunc nulla ſupereſſet ratio, qua ſe miſeri expedirent è manibus latronum, ſed potius perire deberent, quo ipſo profecto non conſuleretur Reip. Melius autem proſpicitur, ſi ſtatuitur medium conſervandi homines Reipubl. ſæpè utiliſſimos. Licet injuriam nobis dum cogimur inferant latrones, & ſic in conſcientia obligentur, ad damnum injuria datum nobis reparandum, ſi tamen ipſis qua talibus promiſimus, omnis cenſetur remiſſa exceptio, quam contra ipſos qua tales habemus. *Prükner in diſſert. pro loco, de promiſſione per vim extorta cap.* 1. §.6.

TH. XII.

Juri NATURÆ quoque contrariatur hoc Crimen, nam jure Naturæ conſtat, unumquemque de re ſua pro lubitu & arbitrio diſponere, eamque in alium ſub honeſta conditione, ſivè fortuita ea ſit, ſivè ex induſtria

pen-

pendeat, validè transferre, neque eo citra injuriam prohiberi posse. *l.2 ff. si à parente quis manum. l. 9. C. de judic. l.21. C. Mandat.* Inest enim hoc in Dominii pleni scilicet natura. *Grotius de J.B. & P. lib.2. cap.6. §. 2. & ejusmodi lib. cap.* XI. *§. 1. addatur* πολιτικώτατος *Puffend. de J. N. & G. lib. 4. cap 9. §.1.* ut adeo rectè proprietatem definierit Philosophus, qua penes nos est jus alienandi. *Dn. Sigfrid. Henning. Oldekop. JCtus famigeratissimus & Patronus meus devenerandus in erudita sua disputatione inaugurali de Sponsionibus. §. 2.*

TH. XIII.

Non committitur vero Concussio jure Gentium circa bella, nec quod jure belli obtentum est repeti potest. *vid. Grot. lib.2. cap.17. §.19.* Gentium enim consensu introductum est, ut bella omnia potestatis authoritate utrinque gesta pro justis habeantur, quoad effectus externos. *add. cap.24. §.13. n. ult. & lib.3. c.3. passim.* vid. omnino Politica curiosa. *Membr.3. §. 26. pag. 208. seq.* adeoque injustè Carolo V. concussionem objecit, Fanciscus I. R. G. cum ad promissa servanda adigeretur. *vid. Histoire de l'Empereur Charles V. par Don Jean Antoine de Vera, traduit d'Espagnol en François &c. pag. 144. seq. add. Bodin. de Rep. lib. 5. cap. 6. pag. 930. seqq.*

TH. XIV.

Sed in foro FEUDALI hoc crimen occurrit, si nempè Reges vel Principes de imperio dejecti, & novi Domini Vasallos cogant, ut in territoriis illis fidelitatem aut subjectionem promittant, undè quæstio moveri potest, num per id factum Vasalli censeantur Feloniam committere contra priores Dominos? Hæc, quæstio

tunc potissimum ventilatur, si priores Domini aut per vim Martis aut per pactiones recuperent Imperium, & arbitramur, posse Vasallos & subditos, si cogantur etiam Tyrannis & injustis invasoribus, quos sciunt esse tales, postquam expulsi sunt legitimi Domini, juramentum præstare fidelitatis vel subjectionis, cum cessat potestas protegendi, haud tamen per hoc illos obligari, ut contra legitimum Imperantem adsistant injustis invasoribus. Et licet formula juramenti ita concipiatur, quod invasoribus contra omnes hostes auxilium debeant ferri, nihilominus ejusmodi juramentum præstari potest, cum intelligantur omnes hostes, quibus salva conscientia resistere vel vim inferre possumus. Non debent autem legitimi Domini tyrannis ejectis, ipsi mutari in Tyrannos, ut subditos, qui se intra justitiæ terminos continuere, durius tractare velint, propter fidem Tyrannis ex justo metu præstitam. *Schrad. de feud. part. 9. cap. 5. n. 31.* ubi deducit, quod Vasallus, qui justo metu ductus amicitiam cum Domini inimicis copulavit feudo privari non mereatur. *allegans Matth. de Afflictis cap.* 1. *§. item si fidelis. n.* 55. *quib mod feud. amitt. Hyppol. de Marsill. l.* 1. §. *propterea n.* 10. *ff. de quæst.* Neque Vasallus culpam sustinet, qui maximo metu compellitur, feudo alioquin privandus, ni potentiori extraneo minas fundenti, & hactenus exequi solito, morem gerat. Nec uni Vasallo fraudi esse debet, si alius ex desperata resistentia maluerit feudum perdere, quam extraneum agnoscere Dominum, absurdũ enim foret, pro crimine accipere, cum quis aliquid facere neglexerit, quod alius in pari conditione constitutus,

ex

ex nulla obligatione, sed ex superabundanti peragit. Sufficit, si Vasallus ea observavit, ad quæ ex natura Feudi & per juramentum obstringebatur. Semper quoque erga alios, qui justo metu compulsi egerunt, Christiana utamur commiseratione, Salvatoris nostri monitum probè considerantes. Quod vobis fieri vultis, aliis quoque faciatis. Videtur huc quodammodo referri posse controversiam motam inter Electorem Brandenburg. Frideric. Wilhelm. gloriosissimæ memoriæ, & Regem Poloniæ Casimirum, qui propterea, quod Elector Svecis auxilium tulisset, ad pacem Polonis damnosam accelerasset, partem Borussiæ feudali nexu involutam, adimere non erubuit. *Thulden. contra Brachell, l. 6. p. 232. it. l. 8. pag. 173.*

TH. XV.

Jure CANONICO quoque committitur hoc crimen, si e.g. in Electione personarum Ecclesiasticarum speciatim aliquid detur, ne electioni vel postulationi resistatur. *vid. Hoersold. de act. act. 7. part. pand. act. 45. pag. 674. add. Joh. Christoph. Gœinzius tr. de Simonia.* Undè laudabile est institutum, quo utitur Ducatus Cellensis Consistorium, dum juramentum à Candidatis officii sacerdotalis exigant, quod spe impetrandi officii nulla munera obtulerint, quo pacto Simoniæ crimen & suspicio avertitur. Porro hoc crimen extorsionis etiam obtingit in Patronis Ecclesiæ, sequenti modo, quando Promotores Candidatis certas conditiones præscribunt, ut potè ipsis matrimonia, quæ aliquando non leve fraudis præjudicium comitantur, obtrudunt, ut adeò jura eorum circa præsentationem non immerito restrin-

ſtringenda ſordeant. *Relferdſo. de ſumma Principum Germaniæ poteſtate. cap.1.p 75.ſeq.* Huc refer *Balduin. de caſib. conſcient. l.4. c.5. caſ 12.* Undè quæritur, an valeat conſvetudo, quæ in quibusdam locis, ut in Pomerania, Marchia aliisque locis recepta & introducta, ut defunctorum parochorum ſivè paſtorum viduæ vel filiæ relictæ, in parochiis maneant, & à ſucceſſoribus in uxores ducantur, quod affirmamus, eamque ſententiam multis rationibus eleganter defendit. *Spekhan. in qu. juris. cent.3. claſ.1. qu.5.* quam honeſtiſſimam & omni juri & æquitati convenientiſſimam vocat, hoc tamen cum additamento, ut in ſucceſſoris arbitrio poſitum ſit, velitne an nolit, vacantem in Parochia locum ambire, & relictam anteceſſoris viduam vel filiam in uxorem ducere, vel alium locum, vidua vel filia vacantem expectare. Ita ſimiliter in libero viduarum vel filiarum arbitrio poſitum ſit, utrum viro parochiam ambienti, nubere, an vero Parochiam potius deſerere malint. Ut ita à neutra parte ulla hic interveniat coactio, ſed utrimque liberum ſit arbitrium, libera voluntas, libera electio, liberrimus conſenſus. *Confer. Zigler. in dicaſtice. concl.8. paſſim & in ſpecie Balduin de caſ. conſcient. lib.4. cap.5. c.9. Finkelth. de jure patron. cap.7. n.38. it. politica curioſa membr.3. §.32. pag.255. & ſeq. qui Spekhanii defenſionem laudat.*

Th. XVI.

In Jus PUBLICUM procidit hoc Crimen, dum Princeps ſummus per injuſtitiam & injuriam ſubditorum bona ſibi addicit, cujus Rei manifeſtum exemplum elucet in Achabo. *Reg.21.* qui videns Nabothum nec

ſiſtu-

fistulæ dulcè canentis authoritate, nec minis levioribus quas absque dubio adjunxisse videbatur moveri posse, id ipsum homicidio cumulavit. Sed Principi non competit proprietas bonorum subditorum ita, ut iisdem pro lubitu citra bonum publicum uti vel abuti possit, neque vis Dominii eminentis ad hoc extenditur, de qua materia *vid. Lyserum tr. de eminente Dominio. add. Vitriar. inst. jur. publ. l. 3. tit. 13. §. 140. & seq. it. Bocler. ad Grot. lib. 1 cap. 1. pag. 113. seq. Politica curiosa membr. 3. §. 45. 49.* ubi etiam speciatim de Nabotho ait, *it. Philipp. Melanchton. in corpore Doctr. Christ. pag.* 837. cum hoc ipsum abhorrere videtur à prima Reipubl. institutæ ratione, cum Imperia non Regnantium sed parentium bono parata sint. vid. *Samuel. Puffendorf dissert. Acad. select. de concord. polit. cum Relig. Christ. §. 4. p. 432. seq.*

Th. XVII.

Inter privatas personas diffidatio est haud infrequens, quæ licet cum crimine Concussionis affinitatem habere videatur, attamen majoris distinctionis causa describimus, quod diffidatio die Befehdung oder Absagung sit hostilis illa minatio, qua inimico per literas, signum, aliudve factum extremæ vitæ, sanguinis aut bonorum persecutio denunciatur &c. Unde dicuntur literæ diffidatoriæ Absage-Schreiben/ Fehde-Briefe. Differunt ergo à literis minatoriis seu minantibus, quod illæ sint minæ qualificatæ, & diffidationem proximè sequatur vis publica, quippè hæc per illam annunciatur, eo enim ipso, dum publicè indicat, se diffidandum armis, igne, spoliis, cædibus, rapinis &c. persecuturum serio declarat, diffidandum à diffidatore nihil aliud quam vim publi-

publicam expectare debere Minantia verba simplicia non sunt diffidatoria, neque vim publicam subsecuturam continent. Quam differentiam tamen ratione atrocitatis, quam insecuturæ pœnæ, & simul si verba sunt dubia, num pro diffidatoriis, num minatoriis sint habenda, quid dicendum optimè colligere licet, ex placitis JCtorum Saxonicorum. *Videatur Dn. Petrus Müller. in differt. de verb. minant. cap.* 1. *th.* 5. *Hahn. in ff. ad tit. de concuss.* qua occasione notari meretur, injustus modus acquirendi Heroum Academicorum, vulgò der Schläger vel Renomisten, qui injecto diffidationis timore, commilitonibus pecuniam vel directè, vel indirectis compotationibus largioribus extorquent, quæ vita tamen Academica hisce & similibus modis malè anteacta, haud leviter consideranda, præsertim candidatis Theologiæ. *vid. Brunn. Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. §. 10. ad quem propterea locum remittit. *Dn. Stryk. vol.* 3 *disp jurid.* 4. *de Vita anteacta. c.* 3 *n.* 23. talis vero detestabilis modus in quibusdam Academiis & locis per Edicta publica est abrogatus, uti constat ex laudabili Edicto contra Duella Serenissimi Electoris Brandenburgici, de Anno 1688. ubi per totum omnes diffidationes, minitationes & duella sub comminatione certarum gravissimarum pœnarum seriò vetat, addatur Edictum hic Hannoveræ à Serenissimo ac Potentissimo Electore Brunswicensi, Domino meo Clementissimo, ut & in præterlapso Anno Edictum Jenæ contra Duella publicatum. Huc etiam non incommodè transferri possunt, literæ illæ, quibus incertis nominibus incendia ad extorquendam pecuniam denunciant,

ciant, vulgò Brand-Briefe, *vid. Haersold. Advers. de act. act. 19. n. 2.* Sed è diverticulo revertor in viam, ad Officiales, & quibus modis hi committant hoc Crimen, nam de hisce disserendi noster maximus est scopus.

TH. XVIII.

Antequam tamen nos pelago de Officialium concussionibus enumerandi committamus, præmittimus, quod Officialis nomen ab Officio quod obeunt Officiales, derivationem acceperit, & in nostra dissertatione per Officialem Præfectum vulgò einen Beampten/ Amptmann intelligamus, hic si legitimus debeat esse, pius ante omnia sit, necesse est. Enim vero uti Præfectorum opera æquè ac aliorum Officialium in administranda Republ. Principi oppido necessaria sunt, ita, talis quoque eligendus, qui officio, cui præficitur, sufficiat, ut nihil damni ex administratione sua in rempubl. redundare possit.

TH. XIX.

Huic pietati adjungenda venit vitæ probitas, hæc enim ante omnia spectanda, *per l. sancimus 6. C. ad leg. Jul. repet.* adeoque sit modestus, temperans, ac prudens; Quo ipso excluditur omnis mali mater avaritia, quippè quæ probitatem omnem, cæterasque artes penitus subvertit. Hinc exiguo vel nullo mactandus est honore, qui dum nullis meritis vel virtutibus conspicuus, & sola pecunia fretus, se Officio ingerit, qui merito suspectus censendus *l. 25. ff. de procurat. l. 21. §. fin. ff. de tut. & curat. dat.* plerumque etiam imperiti se plurimum ingerunt, imperitiâ excitante confidentiam ex Imperitorum scilicet attrito, quod peritorum mollis & imbecilla frons sit.

Th. XX.

Maximè vero omnium ſuſpecti ſunt, eaque propter cane pejus fugiendi, qui ad ejusmodi officia ære onuſti graſſantur. Ut enim nihil dicam, virtuti viam omnem ad honoris culmen præcludi. Ipſa certè Reſpubl. & in ea præfracturæ nundinationi ejusmodi exponuntur. Neceſſe ſanè eſt cenſente Alexandro Severo Imperatore: ut qui emit, vendat. Hinc generoſa voce idem dixit. Non patiar mercatores poteſtatum, quos ſi patiar damnare non poſſum. Erubeſco enim punire illum hominem, qui emit & vendit. Quaſi dicturus eſſet: ſi emere licet Magiſtratus, utique enim licebit vendere. Quapropter optimè factum ab illis Imperatoribus, qui turpiſſimam munerum emtionem ſeveriſſimis pœnis repreſſerunt. *l. fin. C. ad leg Jul. repet. & Nov.* 8. *Dn. Petr. Müller. in diſſert. de libris Officialium, cap.* 2. *§.* 2. 3. Undè Officiales non debent eligi ambitione & pretio, ſed probatæ fidei teſtimonio. *Confer. Exod. c.* 18. *v.* 21. Et hi debent jurare, ſe pro Officio acquirendo nihil dediſſe neque promiſiſſe, nec per ſe nec per alium quocunque titulo, ut præter ſalarium à nemine, quicquam durante Officio, vel depoſito pro eo quod gratis præſtare debent, acceptaturos. Et Dorophagiæ reſiſtitur, ſi efficiatur, ne officia ſua ipſi quaſi emant, daß ſie nicht mehr zu Erlangunge ihrer Dienſte verſalben/ als ihnen ſolche etliche Jahre ertragen mögen. Ementes enim Officia animum habere præſumuntur, non autem Zelum Juſtitiam adminiſtrandi *l.* 2. *C. de murileg.* Lindenſpur in comment. über die Würtenbergiſche Landes-Ordnunge.

Tit. XXI.

Ideoque omnis Magistratuum & Officiorum nundinatio prohibita *per leg. fin. C. ad leg. Jul. Repet. Nov. 8. pr. & §. 1.* & Principi est indecorum vendere officia, quia tunc dicetur mercari sacratissimum mysterium justitiæ, pretii venalitate. *Matth. de Afflict. lib. in Constit. Neapol. rubr. 93. n. 5.* Nihilque pejus est, quam si quibusdam aureis Officiarii redimant Officia, & jurisdictionis potestatem à Principe, quia infinitas revendendi carius justitiam subditis occasiones, architectantur, & lites protelantur, ut impudenter audeant in subditos grassari, palamque supra sportulas debitas petere, quod Principi pro mercatura officiorum, se præbuisse dicunt. Undè rebellionis & alia infinita absurda. Wenn ein Herr einen Amptmann das Einkommen um ein gewisses ammodiret; *Winther. in parthen. litigios. lib. 1. c. 12. n. 15.* Talis enim Officialis est sicut catus qui ponitur ad custodiendum caseum, ne mures illum rodant. Sed si catus semel apponat dentes, plus nocebit uno morsu, quam mures viginti. Ratio hujus injustitiæ est, quia ex hujusmodi locatione & mercatura maxima Reip. inferuntur damna, & via ad injustitiam & iniquitatem aperitur. Iniquitas enim est litium causa, sicut æquitas è contra legis anima, sine qua cadaver est corpus Juris. Undè Margaritha Austriaca Mantuæ Ducissa sapienter dixit: *Che i testi è paragrafi non erano bastanti per animare il governo politico; ma che l'Equita era l'anima del la leggi.* h. e. testes & paragraphos non sufficere ad animam gubernationis politicæ, sed æquitatem esse animam legum, quia nonnulli ex Judicibus magis

eqvum coloratum, quam æqvum diphtongatum noſcunt ſecundum illud.

Dixerat hic æqvum, ſed tulit alter eqvum.

Winther. in Parth. litig. lib.1.c.1.2.n.16. Vix enim ille qui munus munere emit, ſine munere munere fungitur. Sed corruptæ Reip. carcinoma eſt mercatio juſtitiæ. Ubi licitatio pervicax virtutes agentium à Magiſtratu excludit, ibi precium munerum furtivorum, patrimonii ruinam reparet, neceſſe eſt. *Mercur. Gal. tom. X. de Anno 1624. p. 687. de la venalité des Offices & du drojet annuel*, ſicut hæc ſpecies ammodiationis vocatur à Gallis, & auth. anonim. von jährlichen Einkommen Franckreichs. Nihilominus tamen odioſa illa vendendi publica officia ratio, moribus invaluit Gallorum; *teſtante Viro Illuſtri, Jacobo Auguſto Thuano, rerum Gallicarum ſcriptore. l.132.* atque eadem in Regno Gallico hactenus viridi floruit obſervantia, *memorante Limnæo. Notit. Reg. Franc. l.21. cap. 9. Georg. Horn. in Orbe Polit. p.1. tit. de Reg. Galliæ. cap. 6.* Quid noſtris & aliis regionibus hoc circa punctum in uſu ſit, quotidiana loquitur experientia.

Th. XXII.

Interim hic quæſtio occurrit: An indigenæ potius quam exteri muneribus Officialium præferendi ſunt? Quæ quæſtio pro cujusque temporis Regimine, Regionisque conſvetudine agitatur. Quod jus Civile & Romanorum hiſtorias moresque concernit, non uniformem deprehendes diſpoſitionem. Enim vero *in l.3. ff. de Offic. Aſſes.* cautum eſt, ne Officialis ſit de eadem provincia & loco, ubi adminiſtrandum eſt officium.

Quod

Quod autem à Romanis propter nimium popularium & provincialium suorum affectum propter cognationes & necessitudines arctiores nec inde judicia corrumperentur, inductum esse videtur. Sed contrarium ab omnibus ferè gentibus est receptum, idque ob gravissimas causas, nempè quoniam ex electione exterorum facilè oriuntur simultates, & ex indignatione mox turbæ civium sint metuendæ, siquidem conqueruntur populares, rem valdè esse præjudicialem, inque Gentis propriæ contemtum cedere, si exterus quæratur Officialis. Quasi ita Noverca sit patria, ut neminem foveat tam excellenti præditum virtute, qui dignus haberi possit tali Officio. Proindè quæstus, livor & divulsio animorum. *Conf. Lips. in polit. lib. 3. cap. 4. ibique in notis.* E contrario incolæ spe promotionis futuræ lactati filios studiis liberalibus imbui, sumtibus non parcendo curant, maximè, cum ipsi suo labore decimas ex quibus fiunt beneficia ac annua tributa, ex quibus præstantur salaria solvant. Deindè quoniam indigenis populi mores, patriæ leges & instituta, inter quæ educantur, omnium optimè cognita sunt, vel saltem ii melius noscere præsumuntur, quam alienigenæ *per l. 2. C. quemadm. Testam. aper. l. Si fundus 6. ff. de Evict. cap. quosdam Ext. de præsumt. Mynsing. cent. 4. obs. 30.* Item magis coalescunt animi, interiorque intercedit amicitia cum illis, qui sub eodem cœlo nati educatique sunt. Facile autem disjunguntur, quos cœlum & educatio disjungit, siquidem naturalis causa majorem virtutem & effectum habet, quam accidentalis. Quale vix de extero quis sibi spondere habet. *arg. l. qui habebat. 29. ff. de*

ff. de Legat. L. Libertus. 17. *§. sed eod. ff. ad Municipal. Speidel. in thes. jur. voce* Land-Kinder / *Seckendorff.* in Fürsten-Staat. *part.* 2. *c.* 5. *§.* 8. *n.* 3. propterea ex iis rationibus indigenis maximam præferentiam deberi censemus.

TH. XXIII.

Accedit porro, quod etiam si in advenis talem peritiam peritiæq; applicationem deprehendas, vix tamen sit, ut de illis tantum affectum, fidemque tantam cum amore sperare posses. Extra omne enim dubium est, eum affectum eamque fidem erga commune bonum indigenis cum exteris communem non esse, cum hi plerumque suo, non subditorum commodo velificentur, & tanquam in peregrino agro illud Comici in animo retinent, Mihi istic neque seritur neque metitur. *Hermann. Kirchner de Offic. Cancell. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 29. *Althus. in polit. c.* 7. *pag.* 82. *Aug. Barbosa ad cap. nullus invitis.* 13. *n.* 11. *distinct.* 61. Quibus omnibus tandem addimus, quod sæpius usu veniat, ut innoventur, aut potius cōmutentur ab istis avitæ consvetudines & ordinationes, imo Principes inducunt ad alia & plura onera subditis imponenda. *Arum. discur. jur. publ* 19. *vol.* 4. *obs.* 30. *Myler. ab Erenbach. in Hyparcholog. c.* 6. *§.* 7. *n.* 17. Qua de causa indigenarum animi odiis & simultatibus ut plurimum incenduntur. Quod vel ipsum observatum est à pluribus nationibus. *Döppler.* Von getreuen Rechnungs-Beampten / *lib.* 1. *cap.* 6. Quapropter etiam plerumque omnes gentes exteros ab officiis excludunt, iisdem interdicunt omnem aditum ad officia publica & provinciarum interiora. Sic in Regno Poloniæ peregrinis

grinis nullus ad Regni officia aditus & acceſſus permittitur. *Becmann. parallel. polit. diſp.* 19. Eandem apud Venetos obtinere teſtis eſt. *Franſciſc. Patric. de Inſtit. Reipubl. lib.* 3. *tit.* 2. Simile exemplum de Helvetis ſuppeditat *Georg. Schönborn Polit. lib.* 2. *cap.* 6. Celebre quondam fuit præceptum Lycurgi, quo præcavere voluit, ne exterorum corrupti mores in cives ſuos vulgarentur. Et apud Sinenſes, qui ſoli præ aliis populis ſibi ſapere videntur, conſtitutum, ne peregrini edocti vires Imperii occaſionem regimen invadendi caperent; idcirco nec naufragium perpeſſis, ſuos repetendi poteſtas eſt. Cauſam Gentium Europæ Ariſtoles agit. *lib.* 5 *polit. cap.* 3. *ubi in comment. Philip. Scherb. inquiens.* Seditiones ortas eſſe propter admiſſos peregrinos, ad jus civitatis & ad in habitandum, qui ubi fortiores ſe eſſe arbitrati ſunt, ipſos cives indigenos propriis locis voluerunt deturbare, aut pepulerunt aut turbârunt. *Petr. Müller in diſſ. de Securitate metuentiũ ſect.* 2. §. 8. Quod etiam ſancitũ in noſtro Electoratu & quidem in Gandersheimiſchen Land-Tages Abſcheid. de Anno 1601. & verba hæc ſunt. Zum Acht und dreiſigſten; Wenn die Land-Kinder in Ehren und Tugenden auf Univerſitäten/ bey Hofe/ in ruhmlichen Krieges-Zügen/ Haußhaltungen/ und andern ehrbahren Handeln wol geübt/ und alſo qualificiret ſeyn/ daß ſie mit Ruhm und Nutzen zugebrauchen/ auch S. F. G. treulich meynen/ daß alsdenn der gnädige Landes-Fürſt Dieſelbe ſo wol bey Hofe/ als uff dem Lande in Regierungs- und Krieges-Hoff und Haußhaltungen/ Geiſtlichen und Weltlichen/ Geheimen und gemeinen Sachen/ nach jedes Befindunge

ge vor Frembden und Ausländischen so viel sich immer füglich schicken wil/ zu hohen und niedrigen Aemptern und Diensten zu befördern geneigt. Exotica enim aromata & periculosa condimenta quærenda non sunt, quando domestici & paterni suppetunt cibi & fercula salubria, ne stomachus hic à primo lacte nutritus, indè morbum contrahat, & quod consequens est, cruda omnia post evomat vehementer. *ad quod alludit. Joh. Limnæus. lib. 2. Jur. publ. cap. 2. n. 86.*

TH. XXIV.

Hisce relictis ponimus hoc Crimen ab Officialibus in subditos multifariam & quidem (1.) in Contractu, si nempè hi ab illis mobilia vel immobilia emant, aliosq; contractus celebrent, quales actus Officialium cum provincialibus jure Civili sunt planè prohibiti, ex ea ratione, ne subditi terrore Officialium in contrahendo inducerentur, nec deterrerentur, uti constat *ex arg. l. 1. C. de contract. jud.* cujus verba hæc sunt. *Provincias moderantibus non solum donationes, sed etiam emtiones quorumcunque mobilium rerum &c. penitus interdicimus;* Undè Officialis, qui hoc facit à crimine concussionis, & impressionis excusari non potest, quia concussionem & impressionem generatim inferrè dicitur Officialis, & porro ex *l. licet 46. ff. de contrah. empt. vendit.* patet, quod Officiali jurisdictionem habenti, non permissum sit bona subditorum emere. *it. in l. principalibus 33. ff. de reb. cred.* dicitur, quod hi qui provinciam regunt, quivè circa eos sunt, negotiari non debeant, quam legem Dd. extendunt ad omnes ferè contractus, ita, ut potestas contrahendi cum quovis Provinciali sit ademta *Card.*

Tusch.

Tuſch. lit. O. concl. 100. *n.* 3. 4. & 5. Unde, ſi Judex emat, vel alteri mutuo det, fit ſuſpicio & timor impresſionis, quia eſt terribilis partibus. *Struv. in add. ad diſſ. crim. X.* Suſpiciones enim inter cogitationes ſunt ut inter aves Veſpertiliones, nunquam volitant niſi luce crepera; Redimendæ certè ſunt, aut ſaltem cautè cuſtodiendæ. Mentem enim obnubilant, amicos alienant, & negotia interpellant, ita ut nec alacriter, nec conſtanter peragi poſſint. *Fr. Baconi de Verulamio in ſermon. fidel. cap.* 31. *Cicero in Verrina ſexta*, de dicta Emtione verò inquit, veteres putabant ereptionem eſſe, non emtionem, cum venditori arbitratu ſuo vendere non liceret, & quod quisq; vellet, ſivè venale eſſet, ſivè non eſſet, auferret. Interim hic videndũ, ne erremus generaliter intelligendo legem, dum enim dicitur Officiales prohiberi à contractibus, intelligendũ id eſt de Officialibus, qui extra locũ ſuæ originis negotiantur, Nam ſi ſunt noſtrates, illi non prohibentur contrahere, ita intelligit *l. Principalibus. Bart.* Quæ interpretatio movere poſſet Principes, ut indigenas aliundè conqueſitis Officialibus præferant, Nam lex de aliunde quæſitis nihil boni præſumit, ideo prohibet eis contractus, Ergo reliquum eſt, ut intelligamus legem loqui de contractu eorum Officialium, qui alienam Provinciã adminiſtrant, inter quos tamen ipſos quoq; differentia eſt, ſunt enim quidam perpetui, quidam temporales, Perpetui quidẽ non prohibentur in univerſum contrahere, ſed tantum cum hominibus ſibi præpoſitis. Temporales verò in univerſum contrahere prohibentur, niſi Reſpubl., aut neceſſitas aliud ſvadeat. Ratio autẽ quare temporales magis prohibeantur, quã

E per-

perpetui contrahere, eſt, quia in mora parvi temporis eſt magnum periculum. *l. ſi debitor. ff. de judic.* Videmus enim temporales Officiales plus ſatis eſſe attentos ad rem: ſi ergo admitterentur promiſcuè ad contrahendum, tunc aperiretur feneſtra multis rapinis, quod fieri leges prohibent. *Sichard. in C. lib. 4. tit. 3. com. in l. 3. eos qui Officia conjuncta.*

TH. XXV.

Sed non pauci ſunt, qui aſſerunt quod ea, quæ de prohibita emtione à nobis tradita, obtinere tantum in Magiſtratibus Rom. provincialibus, non autē in urbicis, quod illis major in Provinciis graſſandi copia ſit, dum tantum fuerint annui, & interea temporis Officiales facilè ab ejusmodi contractibus abſtinere potuerint, hodiè vero iſtius legis vim excidiſſe, poſtquam Magiſtratus & Judices cœperunt eſſe perpetui. *Weſenb. in parat. C. de contract. jud. in fin. Card. Tuſch. lit. O. concl.* 100. ubi omnes ita diſtinguunt & addunt, licet temporales non poſſint contrahere cum iis, qui ſunt de jurisdictione, id tamen permiſſum eſſe Officialibus incolis in loco ſuæ originis *per l. præſid. 34. ff. ſi cert. pet.* ſunt etiam nonnulli, qui Officiales palam bona fide negotiari poſſe annuunt, uti ſtatuit *Accurſius in l. ſi emtione §. ult. ff. de contrah. emt. vend. Andreas de Iſern. in. c.* 1. *§. ult. de feudo Guardiæ. Angel. & Decius in. l. principalibus ff. ſi cert. pet.* Sed contrariam ſententiam nobiſcum ſuſtinent. *Jaſon. Alex & Zaſ.* quibus & aſſentitur *Fachinæus. contr. lib. 9. cap. 39. quæ probatur per l. un. C. de contract. Judic. vel Eorum &c.* Ubi Imperator prohibet contractus fieri à Rectoribus perpetuis civitatum & à Judicibus, niſi pro neceſſitate victus,

-victus, verba ejus hæc sunt. *Provincias vero moderantibus non solum donationes, sed etiam emtiones quarumcunque mobilium vel immobilium rerum, præter eas, quæ ad alimoniam, vel vestes pertinent, & ædificationes, licet sacri apices aliquid eorum permiserint, penitus interdicimus &c.* quam Constitutionem respiciunt *Facchineus lib. 2. controv. cap. 78. uti & Decius,* qui addit rationes prohibitionis, partim quod Reipubl. vacare debeant, partim vero ex eorum contractibus multa mala sequi soleant, timorque impressionis non desit, quanquam alii distinguant, utrum Officium seu administratio Jurisdictionẽ habeat annexam nec ne, ipse Decius tamen hic indistinctè constitutionem ad quemvis Magistratum extendit, ut cesset omnis impressionis timor, & subditi paterne regantur, neque bonis spolientur, sicuti facile spoliari possunt ex negotiationibus Rectorũ. Nec desunt Regiones, quæ in specialibus statutis editis Justinianæam Constitutionem tanquam saluberrimam approbarunt, ita Argentorati statutum Anno 1620. Daß der Stadt Straßburg Ampt-Leute / und Vögde uff dem Lande / keine Güter in dem Ampte / darinnen sie gesetzet sind / gelegen / an sich kauffen oder entlehnen sollen. vid. Extract. der Stadt Straßburg Ordnung von Contracten, quod in Decreto Anno 1678. circa jus Retractus emisso ad Officiales, in specie die Amptschreiber extensum est *de jure Municipali Würtenbergico part. 1. tit. 75. fol. 212. §.* allerley. Magistratibus, Judicibus, omnibusque, qui circa eos sunt occupati, emtio venditio interdicta est, hic etiam allegari meretur, nostra Brunsvicensis ordinatio Provincialis à quondam Serenissimo ac

Gloriosissimo Duce Brunswicensi & Lüneburgensi Domino Johanne Friderico gloriosæ memoriæ anno 1674. publicata, quæ etiam adhuc in strictissima observatione est, ubi §. 42. reperitur. Und als Uns nicht unbekant/ daß theils Beampte sich mit vielen Ackerbau beladen/ solches aber allerhand Uns nachtheilige Mißbräuche nach sich ziehet/ dahero denn solches in denen alten Ampts-Ordnungen nicht unbillig verboten worden. So wollen wir zwar noch zur Zeit bis zu Unserer weiteren Verordnunge geschehen lassen/ daß diejenige Beampte so eigene Güter in denen ihnen anvertrauten Aemptern besitzen/ dieselben behalten mögen/ jedoch mit diesen ausdrücklichen Bedinge/ daß Unsere Ampts Unterthanen mit Bestellunge derselben keines weges nicht einmahl Bittsweise/ oder für Erlegunge des Dienst-Geldes beschwert/ oder auch die gemeine Weide mit mehrern Vieh/ als sie den Winter über mit ihren eigenen Futter ausbringen können/ betrieben werde. Wes aber sonsten ein oder ander an Meyer oder Pacht-Gütern an sich möchte gebracht habe/ deren soll er sich innerhalb Jahres-Frist abthun/ und ohne Unsere Special-Bewilligung dieselbe so wenig lenger behalten/ als dergleichen fürters an sich erhandeln/ noch einigen Acker von wüsten Meyerhöfen ohne mehr besagten Unsern gnädigsten Consens, unter den Pflug nehmen/ so lieb ihm ist bey seinem Dienst gelassen zu werden/ auch sonsten andere wilkührliche Straffe zu vermeiden.

TH. XXVI.

Hæc prohibito etiam extenditur ad publicas subhastationes de jure Municipali Würtenbergico *part.* 1. *tit.* 75.

tit.75.fol.212. §. allerley. Magistratibus, Judicibus, omnibusque, qui circa eos sunt occupati, emtio & venditio in publicis subhastationibus interdicta est, etiam per suppositam personam, *juxta l. 46. de contr. empt. Speidel. spec. jur. voce* Amptleute, eodem jure *part.2. tit.6.* §. Wir setzen und ordnen, *fol.292.* Officialibus non competit jus territorialis retractus Landes Ordnung *fol. 41.* §. nachdem, *& seq.* ibi, oder dergleichen Unser Diener sey, quia id veris civibus, & qui onera civilia sustinent, non autem nudis incolis competit. *v. Honded. consult.5.p.1.* Nec obstat, quod Statutum permittat retractum contra die Ausgesessene: Per hos enim significantur, qui cives oppidi vel incolæ pagi non sunt, licet in oppido vel pago commorentur: sicuti ipsa oppositio der Bürger und Ausgesessene arguit. Nihil quoque refragatur, quod Statutum loquatur de Incolis von denen Einwohnern, & ipsi etiam Præfecti cæterique Officiales videantur esse incolæ, siquidem ibi commorentur. Nam per incolas denotantur ibi Cives pagorum, & uti dictioni Bürger respondet Vox Stadt, ita verbum Einwohner eo loco ad vocabulum Dorff refertur. *see. Bocer. tom.2. disp.22. de jure retract. th.16.* Sed si Officialis aliquis in loco ubi Officium gerit, simul civis existat, dubium nullum habere videtur, eum etiam ad retractũ admittendum esse, Quia statutum de simplicibus Officialibus, non qui qualitatem civis annexam habent, loquitur, ac proinde quod de civibus disponitur, merito ad tales quoque referendum est. *Speidel. c. l. Dn. Müller in comment ad Syntag. Struv. ex. 23. tit. 1.* Verum quoniam per legem & Ordinationem Würtenbergicam, cum

qua

qua & noſtra ſupra allegata ordinatio Provincialis concordat, ad omnes omnino Magiſtratus pertineat, æqvum eſt, ut iidem ſivè ſint cives, aut tantum incolæ, à publicis ſubhaſtationibus removeantur.

TH. XXVII.

Committitur (II.) hoc Crimen, ſi Officialis quod contra mandatum tardius aut mitius ſuam commiſſionem aut executionem executurus ſit, parti perſvadeat, ſi ſibi certam pecuniam numerare, aut hoc aut illud in gratiã ſui efficere velit. *Dambaud. in prax. crim. c.* 129. Judex vero vel Officialis, qui non erubeſcit tantum facinus perpetrare, agit contra Deum, à quo poteſtatem ſuam habet. *Rom.* 13. facit contra juſtitiam, dum eam propter pecuniam baractat, id eſt permutat; in dem er das Recht drehet, uti Germani loqvuntur, contra debitum ſui officii. Quapropter rectisſimè ille, qui juſtitiam vendit, aut alio modo pervertit, *à Decian. in tract. crim. l.* 8. *c.* 36. Satanæ miniſter vocatur. & *Gig. de crim. læſæ Majeſt. tit. de product. qu.* 2. hos Judices rapaces & ſordidos appellat, & antiqui hos Judices nummarios appellarunt. Uti & à Cicerone appellantur. *l.* 1. *Epiſt. ad Attic.* dum inquit. Quæris ex me in ſectandis exagitandisque nummariis judicibus *& pro Cluen.* Varia Judicum genera, nummarii pauci, irati multi, & ibidem paulo infra; Nummarius interpres pacis & concordiæ non probatur. *Heckenberg. in diſput. inaugur. de Barrattaria. cap.* 2. *n.* 1. *&* 2.

TH. XXVIII.

(III.) Porro hoc Crimen in Officialibus apparet, ſi accipiant pecuniã remittendæ pœnæ ergo, in quam falsò dice-

dicebant subditum incidisse, sed non inciderat, & multo magis gratis relaxandus vel absolvendus erat. Cum qua specie (IV.) ille casus affinitatem habet, quando nempè Officiales scientes citatum non compariturum, mulctæ extorquendæ causa aliquem ad judicium sub pœnalibus mandatis sine causa vocitent, & sic mulctando emungant, vel quando ex metu afflictionis à Magistratu imminentis provincialis fundum ei vendat, qua de re egregiè *l. penult. si per impressionẽ C. quod met. caus.* agitur.

TH. XXIX.

Mendacio quoque (V.) committi potest Crimen hoc Concussionis ab Officialibus, quamvis expresse non inferatur metus. e. g. Quando Officialis simulat voluntatem Domini, & nomine Domini sui pecuniam seu alias res ab aliquo extorquet, & eas in proprios usus convertit. Quamvis sint qui dictitent Concussionis Crimen nullo modo absque metu fieri, ideoque hi differentiam ponant inter extorsionem & concussionem. Extorsionem ajunt esse, quando nempè Judex subditum tantum indebitè inquietet absque metu. Concussionem autem metum præsupponere. Verum hæc distinctio non magni est momenti, eâdem pœna enim extorsio punitur, qua Concussio.

TH. XXX.

(VI.) Officiales etiam hujus Criminis rei fiunt, si subditos, qui certam quantitatẽ frumenti debebant. Daß sie entweder von vorigen Jahre schuldig geblieben / oder gegen Aufmaaß geliehen, post insolitam præcedentis anni sterilitatem & indè valdè auctum frumenti pretiũ, præcisè cogant ad frumentum (quod ultra necessariam ali-

alimentationem non habent) in natura ſolvendum, vel ſecundum æſtimationem pretii, quale tum erat, præſtandum, quale commercium cum avaritiæ vitio conjunctum, non eſt ferendum. Videtur quidem hæc noſtra aſſertio contra principia juris impingere, ex eo, quod aliud pro alio invito creditori ſolvi non poſſit. *l.2.l.8.§.2. in f.ff.de reb.cred.* & quod in ſpecie de eſſentia mutui ſit, ut res in eodem genere reddatur. *d.l.2.& l.3.in ff. ibid.* ſic ſi debeam frumentum abſolutè tenear ad reddendum frumentum *d.l.2.* & ſecundum ea, quæ habet *Struv.ex.16. th.26. & 32.* Inſuper ſi propter aliquem caſum illud ipſum quod debetur ſolvi non poſſit, inſpiciendum venire quanti res tunc ſit, cum deberetur, aut petita eſſet *l.22.d. tit.* & ſi debitor in mora fuerit, maximum à tempore moræ præſtandum ſit pretiũ. *Struv. ex.16.th.37.* attamen hisce omnibus non attentis, Chriſtiana charitas, quæ ubique præferenda, & æquitas, quæ in omnib⁹ tanquam theriaca contra venenum ſpectanda, nos movit ad ſuperiorem aſſertionem deferendam. Nec obſtat, ſi fortè Creditores dicant, quod ſibi frumentum majori jam pretio emendum ſit, vel ſi illud vel retinuiſſent, vel debito tempore accepiſſent, hucusque cuſtoditũ ſimili pretio vendere potuiſſent, & ita per talem denegationẽ ſe in graviſſimum incurrere damnũ. Nam ſibi imputent, quod exactionem in hoc tempus diſtulerint, *l.damnũ ff. de R.J.* vel quod fœnori dederint frumentum, da ſie es gegen Außmaaß außgethan, præſertim quod ſicuti in mutuo, magis quam in aliis contractibus improbitas uſuraria præſumatur, ita eo magis reprimenda ſit. *Mantic. de tac.& amb.conv.lib.18.tit.17. n.10.*

*n.*10.*& tit.*18 *n.*7. quæ improbitas exinde evadit manifestior, quod hi fœneratores jam tale præcisè frumentum mit der Aufmaaß exigant, quod tamen exiguo antea emerant pretio, rursus vero in præsenti annonæ charitate detrectent miseris suis debitoribus, das Korn gegen Landübliche Uffmaaß zu lassen oder auszuthun/ sed præcisè pretium, quale nunc est, prætendant, & sic ipso facto leoninam suam conventionem ostendant, contra generale principium juris, quod quionus habet, eundem & commoda sequi debeant. Debent ergò Creditores vel meliora tempora expectare das Korn zusampt der Aufmaaß gegen eine neue Aufmaaß biß zu vorstehender Erndte stehen lassen, vel æstimationem dati aut debiti frumenti cum aliquo interesse juxta æquum & bonum, quod Judex præprimis superior determinabit, accipere, *vid. præprimis Reformat.* guter Policey Ordnung. *de Anno* 1577 *tit.*19. §.2. *it. de Anno* 1548. *tit.*17. §.2. & ita JCti Jenenses in simili casu consulti responderunt *Anno* 1662 *Reichard. in resol. jur. resol.*2.

TH. XXXI.

(VII.) Crimini Concussionis quoque hæc species annumerari potest, si nempè Officialis subditos cogat, ut ii fruges & victum sibi, non aliis pro pretio ut ut æquo vendant, nam sapit hoc monopolii speciem, ideò quod ex eo per avaritiam aut cupiditatem statuetur *Jason in l. ait Prætor. in pr.*4. *ff. de injur.* tanquam bono publico contrarium & in tertii præjudicium vergens censetur *Cacheran. dec.*17. *n.*9. Nec debent subditi obedientiam in ejusmodi ambitiosis decretis, quæ ad Domini propriam utilitatem & cupiditatem cum illorum detrimento

mento fiunt. *Balduin conf.4.19. n.4. Mev.p.2. dec.280.* Et quamvis quidam ſint, qui tradunt, quod poſſim colonum meum volentem portionem ſuorum fructuum vendere, ad hoc compellere, ut mihi vendat juſto pretio, quod tradit *Bartol.in l.1.n.3.C.de metallar.& metall.* ubi ait colonum debere potius vendere fructus Domino, quam alii, juſto tamen pretio, cui accedit *Socinus.reg.vendere* 530. *fol.2. & alii.* attamen textus, quem allegant *in lib.1.C. de metall: lib.11.* hoc non dicit, ſed id ſolummodo, quod metalla fiſco præ aliis ſint vendenda, ſed ſi Dominus juſtum, id eſt æquale pretium cum extraneis offerat, edulia ipſi iſta pro aliis vendenda, id tamen exiſtimamus magis ex urbanitate, quam legis neceſſitate faciendum eſſe. Gravis enim eſt injuria, quæ inani honoris colore velatur, ut homines de rebus ſuis cogantur aliquid facere inviti *L. dudum C. de contr.empt.* Unde in Saxonia pro ſubditis contra Dominos ita pronunciatum teſtatur *Andr. Rauchbar. p.2. qu.22.* ubi inter cætera offert exemplum, de quodam Præfecto vel Capitaneo, qui carceribus & mulctarum indictione ſubditos eo adigere volebat, ut merces ſuas commeſtibiles in arcem deportatas ſibi venderent, priusquam illas ad forum deferrent. Cum vero in aula Saxonica Electorali, hi gravem propterea agitaverint querimoniam, audacia inhibita fuit Præfecto, ita, ut ab hac iniqua poſtulatione impoſterum deſiſtendum fuerit. Addunt Principem tempore ſubſcripti inhibitorialis Mandati dixiſſe, ſe tantum juris ſibi ipſi non ſumere, ideoque hoc multo minus Præfecto licere, quæ Sententia juſtitiæ & æquitati conſentanea eſt.

Carpz.

Carpzov. in J. F. part. 2. *const.* 51. *def.* 10. in causa der Gemeine zu Gleina 1631. pronunciatum his verbis. Ob wol für Lehn- und Gerichts-Herren Euch bey einer gewissen Straffe auferleget/ das alle Victualien/ so ihr an Eyer/ Butter/ Gänsen und dergleichen zu öffentlichen feilen Kauff traget/ Ihm zuvor anbieten/ und den Vorkauff daran jedesmahl vor andern verstatten sollet/ so möget ihr doch solches zu thun wider euren Willen nicht angehalten werden/ sondern ihr seyd des gethanen Gebots ohnachtet/ die Victualien Eurer Beliebung nach zu verkauffen woll befugt. V. R. W. *Döppler* in seinen getreuen Rechnungs Beampten. *part.* 2 *c.* 1. *n.* 170. *usque ad* 176. Interim hoc saltem intelligendum, quando lucrum ex ista emtione vel mercatura captatur, non autem extendendum ad indigentiam familiæ aut necessitatem domus suæ. (Wenn die Herrschafft vor Ihre Hofstaat oder Haußhaltunge es von nöhten hat) tunc enim ex fide & dilectione oritur obligatio succurrendi indigentiæ Domini, & sic Domino Jurisdictionem habenti competit jus compellendi subditos ad venditionem sibi faciendam, modo æquum pretium solvat. *id. part.* 2. *cap.* 1. *n.* 176.

TH. XXXII.

(VIII.) Crimine quoque hoc se maculant Officiales, si subditos sub spe lucelli arceant ab uno molendino & adigant ad aliud. Nam licet alicujus subditi per longissimum tempus molendinum Domini adire consveverint, non tamen propterea cogi possunt, ut ibidem imposterum semper molant. *Hartm. Pistor. obs.* 200. *Andr. Rauchb. part.* 1. *qu.* 27 *n.* 2. *confe-*

 ratur

ratur integer tr. Joh. Heringii de molendinis eorumque jure, it. in specie Eccell. Dn. Petri Mülleri dissert. de Molendinis Bannalibus von Zwang Mülen. Ad molendinum namque ire, est actus voluntarii & meræ facultatis *l. 88. §. testator 5. ff. de leg. 2. l. 2. §. 1. & l. 15. ff. de precar.* ea autem, quæ in mera facultate consistunt, per præscriptionem non tolluntur *l. viam publicam ff. de via publ. it. Struv. ex 43. th. 22.* nec ex his, quæ gratuito fiunt, ullo tempore jus acquiritur *arg. l. 41. qui jure familiaritatis. ff. de acquir. poss. Besold. in thesaur. pract. v.* Zwang Mühlen. *& Borell. in lib. 4. de Magistr. Edict. cap. 7. per tot.* nisi prohibitioni factæ cives & Incolæ per tempus longissimum acquieverint, ista Edicta prohibitoria, ne aliorsum ad molendinum vel coquendum accedant subditi, ambitiosa & ad Dominorum utilitatem privatam procurata. Videatur Imper. Carol. V. pragmatica sanctio de Anno 1554. in Regno Neapolitano publicata, cui adjungi potest in nostro Electoratu Sanderheimischer Land-Tages Abschied de Anno 1661. *Dissentit. Dn. Caspar Klock. in tract. de ærario lib. 2. cap. 14. n. 3.* nec dubitat, quin Magistratus, publica authoritate efflagitante, id necessitate & utilitate Reipubl. svadente (etiam seclusa præscriptione aut consvetudine) talia Edicta facere, & subditos ad coquendum, molendum in publicis furnis *vid. ex Professo Dissert. Stryk. vol. 3. disp. 14. de jure Furnorum. c. 2. n. 92. seq.* & molendinis &c. cogere, indeque compendium ærario infarciendum quærere possit, Quod tamen uti *Speidelius in spec. sub voce* Zwang / Bau-Mühlen bene judicat, cum moderamine intelligendum,

dum, etenim, quæ necessitate urgente pro licitis habentur, cessante ea, pro illicitis non immeritò æstimari debent. Cum multa necessitatis tempore dicantur licita, & permissa, quæ alias non concederentur. Undè etiam est, quod tempore necessitatis sileant privilegia, *per jur. vulg.* Ideoque si Domini locorum caussa cessante, subditos cogere velint, ut in perpetuum & ex obligatione, item sub pœna, molendina & furnos suos visitent, gravant. *videatur supra cit. Speidel.* Ut vero subditi ejusmodi in casibus eo securiores sint, protestationibus & aliis competentibus modis & remediis sibi prospiciant. In hac materia notandum est, quod tertio cujus interest contra Dominum, qui subditis suis mandat, ut in sua tantum mola & non alibi molant, vel quid simile faciant, actio detur, ut sublato mandato, & abrogata prohibitione subditos pristinæ libertati & rem in integrum statum restituat, ac de non amplius prohibendo cautionem præstet. *vid. Cöppen. lib.* 1. *obs.* 69. *in fin. & Andr. Rauchb. part.* 1. *qu.* 27.

Th. XXXIII.

(IX.) Crimini quoque Concussionis accensetur, si Officiales quibus ex reditibus von denen Ampts-Gefällen certam summam Creditoribus Principis persolvendá demandata est, solutionem debitam ex caussis irrelevantibus injustis tam diu procrastinant, donec sibi certa pars debiti sit promissa, qui modus & usus vel propriè Concussionis excessus hodiè ferè in plurimis Provinciis obtinet, adeò, ut sæpè propria authoritate, partem sub specie salarii sui exposcant vel retineant, loco excusationis adhibentes, quod communi-

muniter fiat, censeri legitimè fieri. *arg. l. certi condictio* 9 *§. si nummos* 8. *de reb. cred.* & excusationem mereri, qui id fecit, quod consvetum est fieri. *arg. l. pignus*. 9. ibi quibus & alii solebant publicè uti *C. de pign. act.* præsertim quod consvetudo etiam improba excuset à pœna saltem temporali in foro externo. *Tiraquellus de pœnis temper. caus.* 42 *n.* 2. sed honestas contrarium jubet, ac nomine consvetudinis indigna est illa observantia, quam Officiales lucri causa faciunt. *Nov.* 134. *C. ut nulli Jud.* 1. neq; vero sive unus sive plures faciant, quia multitudo errantiũ non illico parit errori patrocinium. *arg. l.* 6. *§.* 1. *ff. de Offic. Præsid.* & ex actibus nón liberè frequentatis item fidei contrariis, qui dominatum & tyrannidem quasi sapiunt, nec consvetudo nec præscriptio induci potest. *Leyman. in Theolog. moral. lib.* 1. *tract.* 4 *cap.* 24 *n.* 11. præsertim cum abusu publicæ potestatis talia delicta commissa videantur. *Struv. in. add. ad dissert. crim. X.*

TH. XXXIV.

Conatus etiam (X.) in hisce criminibus notatur, ut est sollicitatio alienarum nuptiarum, quando quis pudicitiam alienæ uxoris attentat: Sic pœnam legis incurrit, qui suppositam jurisdictioni suæ mulierem in thalamum pellicere saltem conatur. *l. un. C. si quac. prædit. potest.* ita, ut ob solum nisum seu interpellationem puniatur ille Officialis, qui Provincialem vi & metu tentat in uxorem ducere, quia ipsa interpellatio & attentatio de matrimonio à lege notata & pro delicto habita est, licet matrimonium non insecutum fuerit. Supersunt quidem aliæ species hujus criminis, inter quas

quas præcipuè eminet, si Officialis ob lucrum captandum lusui eqvum vilissimum vel aliam rem parvi pretii exponat, subditos à Principe suæ curæ commissos ad ludos provocet, qui nolentes volentes vitandæ offensionis gratia ludendo sese associâre debent; Sed ne longius excurramus pedem hic circa modos committendi figo, hoc tamen tantum addimus, quod concussionem & impressionem generatim inferre dicatur Officialis, quando quacunque ratione pecuniam vel aliud quid veniens in commercium quod non debebatur sub prætextu Officii extorqueat, & quamvis subindè liberè & voluntariè similia præstentur, nihilominus contra Officialem præsumitur Concussio, metus & impressio. *Paris de Puteo cap.7. per tot.* & utique usurpatio potestatis criminosa censetur, si sub pallio publici officii omnia ad privatum quæstum referantur. *Gigas de crimine læsæ Majest. in tr. tom. 2. part.1. fol.47.*

Th. XXXV.

Occasio vero hujus Criminis & harum memoratarum specierum Officialibus nascitur ex Admodiatione, qua Principes architectantur subditis carius justitiam vendendi infinitas occasiones, ut impudenter audeant in subditos grassari. Ideoque melius sibi prospiciunt, si Officialibus suis certa salaria constituant, & quidem talia, ut ex his se & suam familiã sustentare, suisque post mortem alimenta relinquere possint. Nullus enim tam vilis mercenarius dietim operas suas locans reperitur, qui præter id, quod in se alendum impendit, nolit etiam mercedis partem superesse, quodque etiam summè neces-

necessarium, ut eo citius, salariis bene constitutis, à corruptelis, fraudibus & concussionibus se abstineant. Cui & assentitur *Dn. de Seckendorf. in part.* 3 des Fürsten-Staats *cap.* 4. *ita dicit.* Damit die Rechnungs-Bediente desto weniger Ursache zur Untreu haben/darzu machen die Gelegenheit des in Händen habenden Einkommens und die Armuht verleitet / werden ihnen billig solche Besoldungen gemachet / auch eine und andere zulässige Ergetzunge und zugefällige Gebühren von dieser oder jener Verrichtunge/ daß sie damit nohtdürfftig hinkommen können. Et æqvum sanè est, ut illis, qui sua negligere & bono publico vacare coguntur, ex publico quoque certum & competens salarium constituatur, ne cum suis egeant. Abhorrent enim ab eo leges, ut sine præmio homines laboriosis officiis præficiantur *§. si quis autem, auth. de Jud.* Et improbus ille labor est, quem præmia nulla seqvuntur. Hæc autem salaria ex propriis bonis & reditibus Dominorum sunt constituenda, non ex bonis subditorum, quibus justitia administratur, quia ipsi sunt debitores justitiæ administrandæ, & ob hoc percipiunt reditus. *Garsius de expens. cap.* 20. *n.* 13. *& cap.* 21. *n.* 20. *Rüding. cent.* 2. *obs.* 3. *Speckhan. cent.* 3. *class.* 3. *qu.* 21. *n.* 7. *Munotz de Escobar. de ratioc. cap.* 27. *n.* 4. *Oldekop. tit.* 2. *crim. observ. cap.* 2. *n.* 9. *in fin. Speidel in spec. Jur. voce* Besoldunge. Non consultum tamen est Officialibus in pœnis & mulctis salaria constituere, daß sie die Buße und Frevel für ihre Besoldunge haben sollen, quia ex hoc magna incommoda subditis obvenire possent. Undè etiam & hoc ferè communiter improbatur, da

man

man denen Amptleuten zu fleißiger Eintreibung der Straffe/ Frevel und Bussen/ certam partem überläßet. Weil sie alsdenn nicht eben der Fleiß/ besondern die eigene Begierde ihren Vortheil zu haben treibet. *Speidel. spec. voc.* Besoldunge. Unde fit, quod nonnulli horum admodiatorum adfectui & avaritiæ de servientes in mulctis indicendis & exigendis, remoto omnis pudoris velamento, lætentur, vel coloratè excogitatis quibusdam excusatiunculis palliare & tegere conentur malitiosam & legum & litium distorsionem, was ich thue geschiehet Amptshalber & impiè effutiant hoc modo: Es haben dieses Jahr über die Brüche oder Geld-Busse GOtt Lob und Danck ein ehrliches getragen, quasi Deus gaudeat & applaudat litigiosis ejusmodi malitiis & malitiosis litibus, quarum caput est Diabolus. *Valent. Winther. in partb. litig. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 2. *Lather. de censu. lib.* 3. *c.* 15. *n.* 76. *Manz. decis. palat. qu.* 15. *n.* 9. *Carpzov. pract. crim. p.* 3. *qu.* 109. *n.* 42. Hi enim sunt similes chirurgis, qui ut rusticorum vulneribus, ita hi subditorum delictis gaudere solent, Dieses, dicit *Caspar Zigler. in tractat. de jure mulctandi cap.* 10. *n.* 79. sind die rechte Bauren-Schinder, welche denen armen Unterthanen die Haut über die Ohren herab ziehen/ dieselbe bis auf den Grad schinden/ und ihnen das Marck aus den Beinen saugen. *Mich. c.* 3 *v.* 3. *Ubi Lucas Osiander.* Die da solten Seug-Ammen der Kirchen seyn/ aber viel lieber denen Unterthanen das Marck aus den Beinen saugen/ als daß sie dieselbe saugen. *D. Dilher.* hos vocat Geld-hungrige Judas-Brüder, qui ad iniquitatem subditorum sublevant

 ani-

animas, ut est apud *Oseam. cap.* 4. *v.* 8. hoc est sceleribus eorum lætantur, & quibus pro gaudio cor exilit, cum audiant populum multa & grandia peccata designare, ut nimirum uberiora sint pœnarum compendia. Isti hoc agunt, ut loculos suos impleant, & sudore atque sangvine miserorum subditorum pascantur, lusum æstimantes esse vitam illorum, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecunque etiam ex malo acquirere. *Sap.* 15. *vers.* 13. *Döppler.* von ungetreuen Rechnungs-Beampten *cap.* 16. *n.* 39. Imo hi Officiales irascuntur, si Rationes mulctarum cumulo refertas non viderint; quamvis eò hoc infelicissimo ævo deventum sit, ut ejusmodi mulctarum compendia censeantur optimi fructus jurisdictionis, Gerichts-Gefälle, unde nonnulli arrogantes officiarii contra omnem rationem & æquitatem non erubescunt quotidiè pauperes incarcerare, & sumtibus vexare, intrepidè sustinentes, ipsis tam jure quam injuria quævis dicere & facere concessum esse.

Th. XXXVI.

Tandem eâ occasione majori indagatione non indigna emergit quæstio, si Officiales brevi tempore ad id divitiarum fastigium ascendant, quò vel ipsa fortuna tam subitò non ausit pertingere, utrum ex Fisci sivè Domini reditibus, vel aliundè licito modo tantas opes conquisivisse præsumantur? Regulariter enim præsumuntur Officiales ditati ex officio & bonis, quæ administrarunt, qui non habent patrimonium & stipendium amplum, nec artificium nec negotiationem per tradita à *Peregrino de jure Fisci lib.* 6. *tit.* 3. *num.* 6.

Mascard.

Mascard. de probat. concl. 1134. *Cardinal. Tusch. lit. O. concl.* 95. *&* 96. *Menoch. de præs. lib.* 2. *præs.* 53. *Sed Clarus in* §. *fin. qu.* 58. *n.* 30. *verbo Officialis.* facit regulam pro Officiali, quod nempè præsumatur licitè acquisivisse & dicit, contrariam glossæ opinionem communiter non teneri; quia alias præsumeretur delictum, quod non debeat admitti. *Alex. cons.* 82. *n.* 14. *lib.* 2. *Cravet. cons.* 244. *n.* 6. Alii hoc maximè locum habere putant, si Officialis debitam administrationis suæ reddat rationem, & alias non fuiert negligens, nec pauperior Iro. *Clarus dicto* §. *fin qu.* 58. *n.* 30. *Lucas de Penna* l. *facultates. C. de jure Fisci. lib.* 10. *n.* 12. Sed potius est, ut in arbitrio judicis positum sit, qui consideratis omnibus circumstantiis judicabit, an Officialis ex pecunia publica & aliunde sit ditatus. *Lucas de Penna d. l. quem sequitur Menoch. de præs. lib.* 3. *præs.* 33. *in fin. Tusch. lit. O concl.* 95. *Mascard. de probat. concl.* 1134. Ac certè in allgemeinen Landes-visitationen explorari posset, quale patrimonium, quale salarium, & quas divitias habeat Officialis, ac quomodo eas congerant. *Lindens. jur. in commentario* über die Würtenbergische Landes-Ordnunge. Sed linquimus hæc, & transitum facimus ad Actiones, quibus Concussores pulsari possunt.

Cap. III.

De Remediis Contra Concussores Competentibus.

Thes. I.

QUò de vera Concussionis specie, de Reo hujus criminis incusato, similiter de Re per metum extorta,

 torta,

torta, ac demum de applicanda justa pœna constet, Processu ante opus est, qui modo civiliter, ubi agitur ad privatum commodum, modo Criminaliter, ut vel corpori pœna infligatur, vel quicquam fisco applicetur, instituendus erit, *arg. l. ult. ff. de priv. delict. l. ult. ff. de furt.* Inter actiones civiles eminet passim actio in factum *l. 1. ff. de Concuss.* cum qua concurrit illa à Prætore suppeditata ex Edicto de Calumniatoribus in Eum, qui, ne per contumaciam negotium faceret, pecuniam accepisse dicetur intra annum in quadruplum ejus pecuniæ, post annum in simplum. *l. 1. pr. & §. pen. l. penult. ff. de Calumn. Donell. l. 6. 15. cap. 39.* partim Condictio ob turpem vel injustam causam in simplum, ad Rem metu extortam restituendam: *l. 3. C. de Condict. ob turp. caus.* Concurrit cum his actionibus actio quod metus causa, & ipsa intra annum in quadruplum, post annum in simplum, sed tamen post annum vix concurrit, quia intra annum quidem datur, & si alia actio sit, post annum vero non nisi causa cognita, si alia actio non sit. *l. 1. l. 9. §. 4. l. 14. §. 1. & 2. ff. quod met. caus.* Nec obest, quod *ex l. 7. ff. eod.* objiciatur, timorem alicujus vexationis non contineri sub Edicto quod metus causa, haud ergo eam actionem concurrere, cum omnis, qui concutit, vexet. Rectè quidem Glossa levem ibi vexationem intelligendam censet, cujus vanus sit timor, attamen si gravior sit vexatio, veluti, si cum in servitutem peterer, minat⁹ quis sit, se instrumenta status mei interversurum, utique & actio quod metus causa locum habet. *l. 8. §. 1. ff. eod.* At si terrore metuve injecto, is qui in administratione positus erat rei venditionem expresse-

presserit, Venditor ad rem recuperandam & pretium retinendum agere potest *l. pen. C. de his quæ vi met. caus.* quæ actio nostræ disputationi contra Officiales erit convenientissima.

TH. II.

Ob Crimen Concussionis, si criminaliter agatur, tum proceditur vel per viam accusationis, vel inquisitionis, Accusatio olim erat frequentissima & ordinaria vindicandorum criminum ratio, sic ratione Concussionis datur *ex l. 1. ff. de Concus.* pro delicto coercendo, cum qua ex Legibus publicorum judiciorum concurrit Lex Cornelia de falsis, qua parte lex punit eos, qui in accusationem innocentum coierint, quive ob accusandum, vel non accusandum, denunciandum vel non denunciandum testimonium, pecuniam acceperint *l. 2. ff. de Conc. l. 1. pr. & §. 1. ff. ad leg. Cornel. de fals.* quive altioris ordinis insignia usurpaverint, aut militiam confinxerint terrendi concutiendive causa. *l. eos qui 27. §. ult. ff. eod.* Concurrit etiam Lex Julia Repetundarum, quando crimen Concusfionis ab Officialibus secundum in præcedente capite dictum modum committur, & ille sivè in publica, sivè privata, sivè fiscali causa quid acceperit, de repetundis tenetur, id ipsum enim sordidam concussionem JCtus vocat *in l 1. §. pen. ff. de Calumn.* Ad actiones quod attinet, una electa, reliquæ perimuntur, nam nec pluribus legibus quisquam reus fieri potest ob idem admissum & absurdum eundem bis coerceri. *l 24. ff. de accus. l. 17. §. si ante Judicem ff. de Injur.* si vero actione quis expert⁹ fuerit, non tollitur accusatio extraordinaria,

ria; & vice versa, utique si actio rei persecutoria fuerit, aliud si pœnalis.

Th. III.

Cum hodie accusationum usus sit rarissimus, Inquisitorius vero Processus, quem vocamus, ubi Judex ex officio in Reos inquirit atque animadvertit, licet nullus Criminis accusator adsit *l. Præses. 3. l. congruit. 13. ff. de Offic. Præsid. l. 21. & 24. Ext. de accusat. & inquisit. Ordin. Crim. Carol. V. art. 214. & 219.* frequentissimus *Brunnemann. de Inquis. proc. cap. 1. n. 26. Oldekop. Observ. crim. tit. 2. observ. 3. num. 1.* ita, ut hic quoque ex generali ferè consvetudine pro ordinario habeatur remedio. *Carpzov. in tr.* von *Inquisition* und Achte-*Processen in Præm. & in pract. crim. part. 3. qu. 103. num. 50. & seqq.* Ideoque statuimus Judicem hodiè per specialem & plenariam Inquisitionem usque ad Sententiam & ejus executionem ex officio contra Reum Concussionis procedere.

Th. IV.

Quicunque vero Officialem de hoc crimine accusare vult usque ad condemnationem, is certè videat quid agat, maximè enim probare tenetur, crimen hoc esse commissum *l. 6. C. de dolo malo. l. 18. §. 1. ff. de probat. & præsumpt. l. 16. l. ult. C. de probat.* Probationes vero quæ adversus tales Judices & Officiales instituuntur, debent esse plenæ, urgentes & luce meridiana clariores *l. quod evitandi. 5. C. de condict. ob turp. caus. l. 12. verb. convicti. C. de dignitat. l. ult. C. de probat. Decian. in tr. crim. l. 8. c. 38. Mascard. de probat. vol. 1. concl. 165. num. 1. & seqq.* præsertim quando criminaliter

ter & ad condemnationem actio instituatur, licet, civiliter agatur, aliquo modo præsumtiones & conjecturæ locum habeant. *Mascard. de probat. d. l. Struv. ex. 29. th. 11.*

TH. V.

Possunt autem probationes in hoc judicio fieri (1.) per testes, necesse vero est, ut testes legitimè examinentur, & idonei, legitimi, & omni exceptione majores sint. Et ideo non admittuntur testes, qui aliquando ab illo Judice justè incarcerati fuerunt, vel qui aliquando libellum dederunt contra illum Officialem, quoniam hi omnes sunt suspecti. Admittendos autem esse testes domesticos, quamvis regulariter alias inhabiles sunt. *l. 24. ff. de test. l. 3. C. eod.* (2.) Per juramentum actoris. *Mascard. de probat. vol. 1. concl. 166. num. 2. & 3.* quanquam vero hoc sit dictum de Barrataria attamen ob identitatem rationis ad hoc crimen extendi potest, præterea per confessionem in tortura, vel extra torturam elicitam pari modo ex inquisitione, quæ fit circa libros officiales, Revisione actorum & similium probatur. *Jul. Clar. §. fin. qu. 6. n. 6.*

TH. VI.

Antequam autem Judex ad torturam vel Sententiam accedat, Reus tam in processu accusatorio, quam inquisitorio audiendus est cum suis defensionibus. *Artic. 47. const. Crimin. Car.* Nec solus Reus, verum & ejus Consangvinei *dict. artic. & Carpzov. part. 3. qu. 115. n. 4. & seq.* eum in finem citantur, & cum Reo, tum ejus Consangvineis copia Indiciorum vel processus communicandi, testium Nomina exprimenda *per can.*

qua-

qualiter 24. §. *debet igitur de accuſ.* nam ſi nomina Teſtium ſupprimantur, Exceptiones excludantur, præbebitur anſa & occaſio infamandi & audacia falſum deponendi. *dict. can. qualiter, Carpzov. part.* 3. *qu.* 115. *n.* 19. ſed quæritur, utrum defenſio adhuc in notoriis ſit concedenda? quod affirmamus, quia in notoriis quoque legitima poteſt prætendi defenſio. *Covar. in pract. Crim. in pr. n.* 56. *Matth. Steph. ad art.* 9. *conſt. Crim. n.* 2. licet enim defenſio non faciat ad pœnam tollendam, facit tamen ad eam minuendam, neque ullum delictum adeo notorium eſt, quin habere poſſit ſuas excuſationes. *Oldekop. decad.* 2. *qu.* 3.

TH. VII.

In Republ. Rom. Officialis depoſito officio, cum tota familia ſua 50. dies commorari debebat, in Provincia, ut interea temporis Provincialibus de Eo querimoniam commoventibus reſponderet. *l. un. C. ut omnes Judices tam civil. &c.* Sed ſi exceſſiſſet intra hoc tempus Provinciâ, & querela contra illum moveretur, quod vel ipſe vel miniſtri ejus à Provinciali quid extorſiſſent, remittendus erat Ex Præſes in Provinciam, & ad quadrupli reſtitutionem condemnandus. *Brunn. in comment. ad l.* 1. *C. ad L. Jul. Repet.* Interim non minus durante adminiſtratione minor magiſtratus non major ob concuſſionem conveniri poterat. *l.* 4. *C. ad l. Jul. repet.* quæ lex in Jure *Canon. per can.* 126. *c.* 1. *qu.* 1. approbata. Apud nos hodiè quivis Officialis quocunque tempore, tam durante officio, quam poſtea, rectè convenitur.

TH. VIII.

Th. VIII.

Civiliter quando agitur actio, haud morte Rei finitur, sed contra heredes etiam dirigitur. *Wesenb. in π. ff. h. n.* 5. *Arum. disput. π.* 25. *th.* 15. & quidem *l.* 2. *ff. de l. Jul. Rep.* datur ulterius, si fortè ad eos aliquid ex torti pervenisse dicatur. *l.* 5. *ff. de calum. l.* 44. *ff. de R. J.* & si à Reo mortuo lis fuerit contestata *l.* 20. *ff. de Accusat.* qualis demum Sententia Concussores teneat, hoc pertinet ad materiam pœnarum, quæ jam subsequitur.

Cap. IV.
De Pœnis Concussorum.

Thes. I.

NE Crimen Concussionis impunitum maneat, uti hoc Reipublicæ utilitas & necessitas efflagitat. *l.* 51. *§.* 2. *ff. ad L. Aquil.* & unius pœna metus multorum esse possit *l.* 1. *C. ad L. Jul. Repet.* leges Concussoribus certas assignarunt pœnas, quæ tamen pro modo admissi, variant, nam alio modo privatæ alio publicæ personæ, inter quas inveniuntur nostri Officiales, cœercentur.

Th. II.

Generaliter concussionis crimine convictus, Rem metu extortam non solum restituere tenetur, verum etiam extra ordinem arbitrio Judicis puniter *l.* 1. *ff. h. t. l.* 3. *C. de cond. ob turp. caus.* pœna quanta extra ordinem sit infligenda non exprimitur, interim sin civi-

annum in ſimplum. *l 1.pr.& §.pen. l.pen.ff de calumn.* condemnabatur,ex condictione ob turpem cauſam in ſimplum. *l.3. C. de condict. ob turp. cauſ.* ex actione quod metus cauſa pœna erat quadrupli, intra annum ſimpli. *l.1. l.9. §.4. l.14. §. 1. & 2. ff. quod met. cauſ.*

TH. III.

Criminaliter ſin ageretur, ex lege Cornelia de falſis in liberis hominibus pœna erat deportatio, in ſervis, ultimum ſupplicium *l.1.§.ult.ff.ad l. Corn. de falſ.* pro qualitate admiſſi delicti nonnunquam capitis pœnam in liberos eſſe ſtatutam confirmat *Paulus v. ſent. 25. §. qui inſignibus.* Militantium Concusſiones plerique morte vindicaverunt, cujus rigoris cauſam reddit *Valerius Maximus lib.2. cap.7.*

TH. IV.

Sed ut ad eos qui in adminiſtratione poſiti, ut & ad noſtros Officiales perveniamus, ad hos non tantum ſupra memoratæ pœnæ ſimul pertinent, verum etiam ſi qui ex illis, terrore metuve injecto, Rei Venditionem expreſſerit, Venditor & Rem recuperat & pretium retinet, textus eſt *in l.pen. C. de his quæ vi & met. cauſ.* præterea cum tempore perpetratæ Concusſionis peculiariter *ex L. Jul. Repet.* teneantur, ſequitur illos pœna Repetundis præſcripta, olim ejus pœna duplex fuit, nam altera litis æſtimationem, altera Exilium inferebat, lis æſtimabatur vel ſimpli, dupli, Secundum *Ciceronem in Verrin.2.* in Jure Juſtinianeo quadrupli ſaltem fit mentio *l.1. & ult. de Aſſeſſ.* at extra litis æſtimationem non ſolum exilium ſed & Leges Juris Civilis mortem *l.7. §.3. C. ad L. Jul. Repet.* Relegationem

l.38.

l.38.§.10.ff.de pæn. Verbera, confiſcationem *Nov.8.c.8.* §.1. dictant. Exilium ſequebatur publicatio bonorum, nec tantum damnati bona publicabantur, ſed & mortuo Reo quæſtione inſtaurata heredibus auferebantur. *l.80.ff. de accuſ.* quod tamen per *Nov.* 134. *cap. ult.* abrogatum.

Th. V.

Quamvis apud Nos hodie pœna Concuſſionis Officialium admodum rara & inſolens ſit, & quod Briſſonius de adulterii Criminis impunitate in Gallia retulit, de hac in Germania dicere poſſimus, interim prævia Inquiſitione Criminali ſolet pro circumſtantiarum varietate & Judicis arbitrio extraordinem modo mulctâ pecuniariâ cum remotione ab officio, modo Relegatione aut fuſtigatione ad exemplum pœnæ Repetundarum hoc crimen compeſci. *Carpzov. in prax. Crim. qu.93.th.55.* Corodinis loco notandum *Matthæum Stephan. inſcriptionem Artic.129. Conſtit. Crim. Carol.* V. ad concusſionem referre, ſed exiſtimamus illum articulum de Diffidatione in qua pax publica violatur, loqui, propterea nec pœna ibi dictata ad Crimen Concusſionis, quod extra ordinem punitur, & mitiorem pœnam meretur, extendi debet.

Th. VI.

Addimus demum & hoc, quod Officialis convictus & condemnatus criminis concusſionis incidat in infamiam, nam *l.6.§.ff.ad L. Jul. Repet.* ipſi interdicitur teſtimonii dictio & eſt crimen publicum. *Brunn. qu.10.* [illegible] *ad Weſemb.* Hæc ſunt, quæ hac vice de Offi-

ejus deductionem nobis reservantes in aliud tempus. Interim cum illo, cum quo cœpi Numine cœlesti, telam meam claudo, optans, ut is porro studiis meis benedicat eaque ad sui gloriam, meumque emolumentum, promoveat.



DOctè dum tractas, ALTROGGI *suavis amice!*
Quô pactô crimen, cujus Concussio *nomen,*
Patretur, qualemque reis, si criminis hujus
Convicti, pœnam dictent sacra jura luendam,
Suaviter en! Themidem tua virtus concutit *ipsam,*
Ut tibi promeritos summos decernat honores,
Queîs gaudent legum Doctorès atque periti.
Hoc de laudando conatu gratulor imo
Ex animo, pariter tibi prospera quæque precando:
Scilicet infensus sis ac durissimus hostis
His, quibus arridet vetita & Concussio *prava,*
Concutiens *justo legum rigore potentes,*
Vi sibi concessâ qui audent petulanter abuti.

Paucis hisce Consultissimo Domino Doctorando applaudere voluit
HERMANNUS ZOLL, D.
& Professor Juris in Academia Rinthelienfi Primarius.

SPlendeat æternum Themidis diadema paratum,
Quô tua magnificè frons modò cincta nitet.
Afferat eximios fructus, concedat honores,
Et reddat lætum nobile stemma Tuum.

Hisce benevolum erga Nobilis. Dn. Candidatum animum contestari voluit
PRÆSES.

QVæritur immenſum cur ſit Concuſſio *crimen?*
Inpromptu cauſa eſt, concutit *illa Themin.*
Dum Divæ ſacro mala ſub velamine peccat,
Atqve ejus Numen commaculare ſtudet.
Fallor, an ALTROGGI ſacer horror concutit *artus,*
Concutiens *qvando* concutit *ipſe malum.*
Concute *porrò precor, ſic juſtus, dejero, ſic vir,*
Vir non concuſsâ *dexteritate manes.*
Et potius decoras circum tua tempora laurum,
Qvam qvod te laurus. Nam decet hocce viros.

Feſtinatis hiſce memoriam ſui Nobilisſimo
Dn. Candidato commendare voluit

CONSTANTINUS NUSLERUS,
Philoſ. & J. U. D. Decretal. & Moral.
Profeſſ. Ordinar.

COntemplativo dum Jure ALTROGGE refulget,
Aggreditur praxin Fauſtus ut, opto, ſiet.

Hôc votô proſequitur Clariſſ. Dn. Doctorandum,
Fautorem & amicum ſuum colendum

CONRADUS LUDEKING,
J.U.D. & P. P.

SOnti quod POENAS ponit Tibi PRÆMIA digna
Et vitâ & ſtudiis, non morietur honos.

Nobilisſimo Domino Doctorando, Amico ſuo
honoratisſimo amoris honorisque conte-

SCAZON.

ALTROGGE, præstans patriæ tuæ civis,
Haud segniter te litteras amavisse
Primis ab annis, & modestiam morum,
Et eleganti seculo quod arridet,
Lætus recordor. Quisquis ista conjungit,
Prudentibus placebit arbitris rerum,
Et patriæ probabitur viris summis.
Hæc quanta laus est quam mereris! Exopto
Ut, quod capessis, prosperè decus cedat,
Virtutis illud præmium Tuæ magnum.
Quod, si favent benigna fata, proludet
Honoribus majoribus secuturis.

Nobilissimo Dn. Doctorando
qualecunque hoc sinceri affectus
monumentum. P.

JUSTUS CHRISTOPHORUS BÖHMER,
Amico veteri.

Sicut radios Solis umbra,
sic splendorem virtutum tuarum
Sequitur honor
Honor enim est præmium virtutis.
Tuto jam in aciem prodire potes.
Armatus es tantis ingenii dotibus
tanta munitus doctrinâ,
ut multi Clientes consilium tuum
implorent,
Te constituant Defensorem, ne
succumbant

ovantes

ovantes igitur Te Patrono, id quod
petierunt, aſſecuti ſunt.
Tui enim nominis ſama apud
gravisſimos Viros dudum fuit celebrata
abdidiſti Te tempore non exiguo
in Bibliothecam
ut Tua induſtria prodiret in lucem.
Reconditum fuit tuum ſtudium,
nunc omnibus apertum.
Diu ſub Imperatore Juſtiniano militaſti
Tuo ſudore
Invidorum pudore
& Nobilisſimæ familiæ honore
Stipendia ejus otioſis ſunt odioſa,
acri vero ingenio præditis glorioſa.
A teneris bellum indixiſti injuſtitiæ
multaque in vitâ belle feciſti
Teſtis eſt cum aliis multis ſpeciminibus
præſens Diſputatio tua
publicæ diſquiſitioni Nobilisſimorum
& Excellentisſimorum ſubmiſſa
Virorum
ex hac patet
doctrina perſpicuos te exæquaſſe
induſtria vero Te ipſum viciſſe
Miror raras ingenii dotes
dignus es non ſolum hac laureola
ſed ut ſato fruaris candidiore
Gratulor Clientibus, quibus conſiliis tuis
præſto es
gaudeat aliquando Reſpublica,
quæ tuæ fidei ſeſe committet

amplectatur & oſculetur
Vos vero reliqui, qui rei literariæ
operam navatis
imitamini decorandos hoſce conatus
colligite frondes
ſternite flores
nectite mecum ſerta
ut virtus redimita vireſcat.
Laudate ejus doctrinam &
plaudite.
Deerit mihi jam tua præſentia
quia hinc avolo
non deerit Tibi votum meum
ut fortuna tua PROCESSUM habeat
perennem
Tuique PROCESSUS juris ex voto
PROCEDANT
Vale! nec amici deſere cauſam,
quo pede cœpiſti, ſic bene ſemper eas.

Hiſce Nobilisſimum Dn. Reſpondentem proſequi voluit, ut debuit

JOHANN HENRICH NIEMEYER.

F I N I S.

